Thomas F. Torrance

Thomas F. Torrance

IN SELECTOS ALIQVOT PSALMOS DAVIDIS,

ROBERTI ROLLOCI
Scoti, Ecclesiæ Edimburgensis Ministri,

COMMENTARIVS,

Editio Secunda.



GENEVÆ
Apud Iacobum Stoer,
M. DCX.



THEOLOGIÆ STV-DIOSIS, TYPOGRA-PHVS S.



QVVM ex Scotia missus ad nos fuisset excudendus D. Roberti Rolloci, Edimburgensis Ecclesiæ vigilantissimi Pastoris, in selectos quindecim Dauidis regis & Rrophetæ Psalmos Commentarius, doctrina multiplici, methodo accurata, breuiq́; perspicuitate conscriptus: in eóque prætere a passim occurrerent pietatis ignes, qui in cordibus legentium, resipiscentiæ, fidei, charitatis, spei scintillas accendere possint: noluimus præclarum opus nobis commissum diutius detinere, sed curauimus vt quamprimùm in publicum prodiret. Auctor verò, quum sine præfatione manuscriptum exemplar curasset nobis adferri, de vobis eum cogitasse in exarando suo commentario mini-

mè dubitauimus. Nunc igitur, librum vobis consecratum offerimus, cuius doctrinam & methodum si vobis familiarem redditis, speramus labores vestros fore vtiles in Domino, quem precamur vt vestris sanctis meditationibus ac studiis magis ac magis benedicat. Ne autem pagellæ sequentes vacarent, ex iudicio quorundã piorum virorũ, nonnulla subiecimus quæ vobis cupimus esse grata. Valete in Christo. Ex Typographeia nostra Geneuæ, Calendis Martiis, Anno M. D. CX.

THEO-





THEOLOGORVM VETERVM SENTENTIÆ DE PSALMIS DAVIDIS.

ATHANASIVS *De Interpretatione Psalmorum, ad Marcellinum.*

ARBITROR in Pſalmis omnem vitá humanam, tum animę affectiones, tum mentis conceptiones, ſuo modo ac magnitudine definitas contineri, nihílque vltra hæc in rebus húmanis reperiri poſſe. Si enim pœnítentiæ, aut confeſſionis, vſus requiratur: aut tentatio, aut tribulatio apprehenderit te, aut perpſecutione inſidiiſq; infeſtatus, aut in mœſtitiá perturbationémve coniectus ſis, aut aliquid huiuſmodi patiare, quemadmodum ſuperius dictum eſt: Aut ſi te in virtutibus proficere, aduerſarium verò debilitari ſentias: aut ſi laudare, gratias agere, aut benedicere Domino volueris, omnium iſtarum rerum institutioné in Pſalmis habes. Licebit enim eos, vt cuiuſq; argumentũ loquitur, ad rem præſentem deſumere, ac ita legere tanquam de tuo negotio affectioni-

busque essent conscripti, eosq; tuo cõsensu, similiq; affectu prosequens, Domino offerre.

Basilius Magnus, *In primum Psalmum.*

LIber Psalmorum quod ex omnibus vtilissimũ est complectitur, prędicit futura, historias cõmemorat, vitæ leges pręscribit, admonet quid faciendũ sit: &, vt summatim dicam, cõmune prompturariũ est bonorũ documentorũ, vnde quod cuiq; vtile est ad curationẽ promitur. Nã & vetera vulnera animarum sanat, & recenter vulneratis medicamentũ adhibet, & quod morbidũ est instaurat, & quod est sincerũ conseruat. Et affectus, qui variis modis animas hominũ perturbant in hac vita, quãtũ fieri potest in hac vita coërcet, idque cum quadam animi oblectatione concinna, & voluptate, quæ castam quandam cogitationem in mente generat.

Greg. Nazianzenus, *De Psalmis.*

QVàm suauis & iocundus vitę comes Propheta Dauid est in omnibus itineribus vitæ sese offerens, & omnibus ætatibus spiritualibus sese cõmodè adiungens! Omnẽ ordinem progredientiũ subleuat, cum iis qui iuxta Deum infantes sunt, colludit, cũ iis vnà certat, iuuentutẽ moderatur, senectutẽ subleuat, atq; sustẽtat, omnibus omnia fit, militũ telũ, athle-

thle-

thletarũ institutor, exercentiũ sese palæstra, vincentiũ corona, immensa delectatio, in luctu & funere cõsolatio. Nihil est in vita nostra, quod huius officij expers sit. Quæ virtus orationis, inuocationis, quam Dauid nõ adiuuet? quæ diei festi lætitia, propheta eum non exhilarante, atque iocundum reddente?

AVGVSTINVS, *De ysdem.*

QVid est quod non discatur in Psalmis? Non omnis magnitudo virtutis? non norma iustitiæ? non pudicitiæ decor? nõ prudentiæ consummatio? non patientiæ regula? Non omne quod potest dici bonum, & quod ad vtilitatẽ animæ pertinet, procedat ex ipsis? Dei scientia, perfecta prænuntiatio Christi in carnem venturi, & communis resurrectionis spes, suppliciorum metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorũ reuelatio. Omnia prorsus in his, velut in magno quodam & communi thesauro recondita, atque confecta sunt bona.

AMBROSIVS, *Præfat. in Psalmos.*

IN libro Psalmorum profectus est omniũ, & medicina quędam salutis humanę. Quicunque legerit habet, quo propriæ vulnera passionis speciali possit curare remedio. Quicunq; certare voluerit, tanquam in communi animarũ gymnasio, & quodã stadio virtutũ diuersa genera certaminum reperies præparata, id sibi eligat, cui se intelligit aptiorẽ, quo

facilius perueniat ad coronam. Si quis gesta recensere maiorum studeat, atque imitari velit, intra vnum Psalmum totam paternæ historiæ seriem accepit comprehensam, vt thesaurum memoriæ compendio lectionis acquirat. Faciliora quoq; videntur quæ breuius explicantur. Illud etiam quantæ altitudinis, quod breui interuallo offensionum aduersa distinxit, & reconciliationis secunda subtexuit? vt simul cognosceret, quid incredulitas obesset offensa, quid fides prompta conferret. Si quis vim legis explorat, quæ tota in vinculo charitatis est (qui enim diligit proximum legem impleuit) in Psalmis legat quáto dilectionis affectu pro totius plebis opprobrio repellendo periculis se grauibus solus obiecerit: in quo nó imparem charitatis gloriam triumpho virtutis agnoscit. Si quis correptionum sæua formidat, audiat dicentem: Domine ne in ira tua me arguas, neq; in furore tuo corripias me: & discat quemadmodum debeat irati iudicis temperare censuram. Si quis patientiæ agnoscere gestit exemplum, legat in Psalmis: Si reddidi retribuentibus mihi mala, & aduertat quia præceptum Euágelicũ spiritu præuidit, virtute preuenit.

CHRYSOSTOMVS *in Proœmio Psalmorum, Tomo primo.*

OMnis scriptura à Deo inspirata, vt ait beatus Apostolus est vtilis ad docendũ, ad ar-

ad arguendum , ad corrigendum, ad disciplinam, quæ est in iustitia. Docet enim quæ sunt vtilia : arguit autem peccata, & quæ desunt corrigit, & hominem ita perfectū reddit. Subiūgit enim, vt sit integer homo Dei, ad omne opus bonum perfectus. Nec errauerit quispiá, si vniuersam hanc Diuinæ scripturæ laudem in hoc libro Psalmorum simul esse dixerit. Iustitiam enim leniter proponit: docet & comiter eos qui discere voluerint: insolētiores autem diligenter & non asperè increpat. Rursus autē corrigit delicta, quæ fortè nostra spōte à nobis admissa sunt. Sed hæc quidē nō perinde intelligimus quádo canimus, vt quádo in ipsis seorsim versamur negotiis, & Psalmis nobis opus fuerit. Beati itaq; sunt existimádi ij qui ijs solis Psalmis indigent, quibus aguntur gratiæ propter vitæ prosperitatē. Sed quoniam fieri nō potest, vt qui sunt homines difficultates non sentiant, & atterantur afflictionibus, & in necessitates tam externas, quàm quæ in nobis cooriuntur incidant, vtilissimum medicamentum agnoscunt animæ eorum qui sunt cum Deo loquuturi, aduersus vanitates promptissimam in Psalmis denunciationem ipsius sancti Spiritus, qui res quidem omnes humanas præelegit, per beatissimum autem Prophetam Dauid exposuit voces malis conuenientes, per quas curari possint, qui in ea inciderunt.

GREGORIVS *cogn. Magnus, Prologo in septem Psalmos Pœnitentiales.*

SI ille Rex & Propheta conuenienter Dauid, id est, manu fortis, vocatus est: quia vrsum interfecit, leonem suffocauit, Goliath fortissimum lapidis vnius ictu prostrauit, & gẽtes innumeras imperij sui ditioni subegit: non incongruè eodem nomine sanctam animam accipimus, quæ illum qui quasi leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, in se ipsa interficit: & si quando eam sicut fortis armatus aperto certamine aggreditur, lapidis, quem reprobauerunt ædificantes, illum ictu prosternit, corporis nihilo minus passiones subigit, atque ad virtutũ officia cõuertit. Psalterium quoq; eandẽ animam spiritualibus exercitijs assuetam non incõuenienter nominamus. Sicut enim musicum illud instrumentum triangulum decem chordarum inferius quidem percutitur, superius verò sonare videtur: ita anima, sanctæ trinitatis fide formata, decem legis præceptis instructa, inferius percutitur, & superius auditur: quia cùm carnem aliquis perfectè afflixerit, tunc suauissimam Deo in dulcedine melos reddit.

BERNARDVS, *De modo bene viuendi, Serm.* 52.

QVicunq; fideliter & intenta mente Psalmos decantat, quodámodo angelis Dei socia-

ſociatur. Quomodo? quia homo illum pro modulo ſuo laudat in terris, quem angeli ſine intermiſſione adorant & glorificant in cœlis. Pſalmorum decantatio aliquando cõmouet nos ad lachrymas, aliquando inuitat nos ad orationem. Pſalmi faciunt nobis gratas eſſe vigilias noctis, dicentes: Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Pſalmi pronunciant nobis horam diei primam cum exultatione lucis, dicendo: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me. Pſalmi conſecrant nobis horam diei tertiam, quum dicunt: Et veniat ſuper nos miſericordia tua, Domine, ſalutare tuum ſecundũ eloquium tuum. Pſalmi nos lætificant hora diei ſexta, in panis confractione. Pſalmi ad horam diei nonam ieiunia reſoluunt, & nos ſatiant dulcedine ac ſuauitate ſpirituali. Pſalmi nos Deo commendant hora diei veſpertina, dicendo: Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinũ. Pſalmi nos admonent vt benedicamus Dominũ ad completorium, dicentes: Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini.

Quòd delectatur Deus in laudibus fideliũ, teſtatur ſponſus ſcilicet Chriſtus, qui in Canticis Canticorum ſponſæ, ſcilicet ſanctæ animæ, loquitur dicens: Qui habitat in hortis. In hortis habitat Eccleſia vel quælibet ſancta a-

nima, quæ iam viriditate & ſpe bonorum operũ eſt repleta. Quę ergo in hortis habitat, oportet vt ſponſum ſuum vocem ſuam audire faciat, id eſt, cantum bonæ prædicationis, vel ſanctæ iubilationis, vel vocẽ diuinæ laudis emittat, in qua ille delectetur quam deſiderat, quam amici auſcultãt, videlicet omnes electi qui verba vitæ, ſcilicet lectiones, Pſalmos, hymnos, & cãticos ſpirituales audire deſiderant, vt ad cœleſtem patriam reuiuiſcant.

PSALMORVM, QVI HOC Commentario explicantur,

INDEX.



COMMENTARIVS IN SELECTOS ALIQVOT PSALMOS.

IN PSALMVM III.

Argumentum.

Psalmus est εὐκτικὸς. Ex inscriptione autem patet & quis sit eius author,& quæ sit eius scribendi occasio. *Psalmus Dauidis*(inquit)*cùm fugeret metu Abschalomi filij sui.* Occasionem fusè explicatam vide.2.Samuel.15.vsque ad cap.20.

Nunc vt ad rē veniamus,constat Psalmus tribus partibus. *Primùm*,est grauis querimonia,à versu 2. ad versū 4.*Deinde*,est gloriatio fidei ex sensu quodam misericordiæ & liberationis diuinæ,quam inter querendū videtur percepisse ac degustasse, ad vers.8.*Tertiò*,est petitio duplex,prior, pro se: posterior,pro toto populo: ad finem Psalmi.

PSALMVS III.

1 *Psalmus Dauidis,cùm fugeret metu Ab-*
schalomi filij sui.
2 *Iehoua, quàm multi sunt hostes mei:*
multi insurgentes contra me!
3 *Multi dicentes de anima mea,non est vl-*
la salus isti in Deo!Sela.

IEHOVA,*quàm multi.* Prima pars Psalmi, querimonia, quæ existit, vt facilè videtur, ex corde,partim oppresso grauitate afflictionū, *Prima pars psal.*

partim attonito multitudine hostium: nũquam enim satis admirari potest tantam multitudinem ab Abschalomo filio seductam tam citò. Ideóq; admirans simul & attonitus ter illud repetit, *Quàm multi sunt*! Grauitas autem afflictionis satis apparet ex gradibus querimonię: neq; enim queritur de multis tantùm hostibus, sed de multis hostibus insurgentibus contra ipsum: neque id tantùm, sed de multis hostibus in Deum blasphemis pariter & in ipsum contumeliosis: de quo tanquam de reprobo aliquo loquuntur. Ex hoc tertio & summo gradu, illud in exẽplo Dauidis conspicitur, solere Deum nõnunquam ita suos etiam, sibíque dilectos exercere, vt videantur mundo in numero reproborũ esse, & à Deo desertorum. Neque fit illud immeritò: multę enim sunt defectiones etiam optimi cuiusque, & peccatum sæpenumero videtur electis suaue. Itaque sinit Deus eos vicissim gustare quàm acerbus sit peccati fructus. Intereà tamen ita mitigat hunc sensum fructus peccati, vt non patiatur eos sentire simul ac semel vniuersam illã eius acerbitatẽ: partem autem eam illius sensus & amaritudinis, quam gustandam iis præbet, ita immutat, vt ex amaritudine dulcedinem efficiat: ex eo, quod est suapte natura peccati fructus & pœna,

Afflictionis grauitas.

Ecclesia Dei communis.

Causa.

Remediũ.

pœnā, efficiat quasi viam ad emendatio-
nem vitæ, adeóque ad cœlos ipsos. Præpo-
ſtera alicui videri poteſt via iſta, qua quis
per inferos ad cœlos euadat. Id tamen ef-
ficit Deus, qui ex tenebris lucem educit.
Nota deinde in hac querimonia & exem- *Fructus.*
plo iſto Dauidis, pios quoſque in afflictio-
nibus ſolere tandem ſeſe ad Deum con-
uertere. Atque illud vel ſolum argumen-
to eſt, pœnam iſtam, quæ alioqui peccato
infligitur, mutare naturam ſuam. Nun-
quam enim pœnam, quà pœna eſt peccati,
ſequitur conuerſio ad Deum, quicquid
garriant Papiſtæ de temporalibus pœnis,
vt loquuntur, & ſatisfactionibus. Verùm
quo tandem modo conuertit ſe Dauid ad *Conuer-*
Deum? Multis enim modis afflictus ali- *ſionis ad*
quis pius ſe ad Deum ſuum conuertere ſo- *Deum ra-*
let, vel enim confitendo peccata ſua, vel *tio.*
petendo liberationem à præſenti afflictio-
ne, vel denique querendo & expoſtulando
cum Deo, ſeſe ad eum conuertit. Dauid au-
tem in hoc Pſalmo conuertit ſe ad Deum
querendo & lamentando: non quidem
quòd non agnoſcat ſimul peccatum ac me-
ritum ſuum, ſe nimirum merito ſuo ita af-
flictum. Nuſquam enim legimus ſic que-
ſtum eſſe Dauidem, immeritò ſe aliquid à
Deo ſuo perpeſſum eſſe. Queritur fateor
alicubi ſe immeritò ab hominibus & ini-

micis suis multa perpeti: sed à Deo se perpeti aliquid immeritò non queritur vspiā.

Dauidis querela, qualis. Qua de re autē queratur hoc loco, satis manifestum est ex verbis ipsius: queritur enim non modò de multitudine hostium, sed etiam de nimia afflictionis grauitate: vt si puer aliquis castigatus à parente, queratur se duriùs tractari. Quanquam intereà illud verum est, nunquam Deum tentare suos supra id quod possunt sustinere. *1.Cor.10.* *Non sinet vos tentari supra id quod potestis: sed præstabit cum tentatione etiam euasionem, vt possitis sufferre.* Reprobos, fateor onerat supra id quod sufferre possunt. *Gene.4. 13.* Ideóque conquestus est Cain, quòd maior pœna ipsius esset, quàm vt sustinere posset. Verùm suos Deus non ita tentat, quanquam ita ipsis videtur nonnunquam propter naturæ nostræ infirmitatem. *Tentatio piorum.* Quid quæso sibi vult illud, quòd quis etiam in mediis tentationibus (de piis loquor) dum ad Deum se recipit, sentiat se aliqua ex parte subleuari: quódque cū suspiriis inenarrabilibus sentiat gaudium ineffabile? quid aliud quæso ea re significatur, quàm dum confugiunt pij ad Deum, mitigari tentationem, & elabi eos quodam modo ac euadere ex media tentatione, vt loquar cum Apostolo. *Impiorum.* Impij dum puniuntur à Deo, non sentiunt quidem illud, neque patet iis ad Deum aditus.

ctus. Ideò grauius est onus iræ, quã vt ferre possint: de quo etiam conquestus est Cain: qui præter quàm quòd exilio damnatus erat, & ex Ecclesia eiectus, abiectus quoque fuerat à facie Dei. Gene.4. 14.

Sed adhuc paulò diligentiùs examinanda nobis est Dauidis ista querimonia, videndúmque ex quo tandem animo processerit. Origo querimoniæ hui⁹, ex hac familiari cũ Deo agendi ratione, quæ in querimonia Dauidis facilè conspicitur, satis se ostendit. Tã familiaris enim cũ Deo agendi ratio arguit, nõ profectã querimoniã hanc ex spiritu humano. Spiritus enim humanus nunquã adhuc ausus est coram Deo comparere eiúsque tribunali: vtcunque enim aliàs ferox esse videatur, tamẽ ad aspectum Dei horret atque intremiscit. Quãobrẽ necesse est querelã hanc tã familiarẽ ex Spiritu ipsi⁹ Dei profectã esse. Hũc Spiritũ vocãt adoptionis spiritũ, qui, vt Paulus loquitur, effundẽs in cordibus nostris paternam illam Dei charitatem, testatur nos eadem opera filios Dei esse. Ideóque aperit os nostrum, vt clamemus Abba, Pater, & in afflictionibus conqueramur apud Deum. Hoc enim est quod dicit Apostolus, *Ipse Spiritus*, inquit, *interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus.* Ab hoc itaque spiritu profecta est tam familiaris afflicti Dauidis

Querelæ Dauidis origo.

Rom.5.5.

Rom.8. 26.

querimonia. Nisi enim adsit spiritus iste, & sensus quidam paternæ dilectionis Dei, vt illud concedam fieri quidem posse, vt in afflictionibus quis vociferetur, vlulet, & rugiat more Leonum ac beluarum, vt
Psal. 32.3. Dauid de se ipso pronunciat, quo tempore in afflictionibus non est affectus sensu hoc paternæ dilectionis Dei. Verùm, vt quis familiariter se ad Deum conuertat queratúrque apud eum tanquam patrem de grauitate afflictionis, fieri nullo modo potest, nisi adsit Spiritus iste, & sensus sit quidam paternæ dilectionis. Seruus qui solùm metuit Dominum suum propter iram, & non etiam diligit eum, neque vicissim sentit se à Domino suo diligi dum cæditur ab irato domino, non conuertit se ad eum, non expostulat cum eo familiariter: verùm vt Dominus eum inhumaniter tractat, ita ille non tam more hominum queritur, quàm beluarum more rugit atque vlulat, citra omnem sensum dilectionis Domini sui. At verò filius qui afficitur dilectionis paternæ sensu aliquo, in media castigatione ad parentem se conuertit, cum eóque familiariter expostulat. Ita etiam filius Dei afflictus cum Deo patre suo expostulat: à quo sentit se multò magis diligi etiam interea dum manu Dei affligitur, quàm quiuis filius naturalis, à

Querelæ piorum ad Deum.

Seruilis & filialis timor.

patre

patre suo diligi potest: sentit etiam Deum Patrem simul cum ipso perpeti, & commoueri ipsis illis afflictionibus, quas alioqui ipse immittit; quemadmodum pater dum filium castigat sympathia quadam interea temporis afficitur: necessitate tamen aliqua adigitur ad filium castigandum: ne, scilicet, is deterior euadat licentia ac impunitate. Atque hactenus fuit querimonia Dauidis, quám nos in miseriis nostris debemus imitari: in quibus quidem laborandum est, vt semper adsit sensus dilectionis Dei in Christo Iesu.

Inimici Dauidis typus hostium Ecclesiæ. Quòd ad personam inimicorum Dauidis, habes in iis non modò exemplum blasphemiæ in Deum, sed extremæ malitiæ in homines, quæ ne animæ quidem ac alteri vitæ párcit, dum spem diuini auxilij conatur semel totam præcidere. Qua in re vides quoque mirificam eorũ cęcitatẽ, qui putãt pios, intereà dũ affliguntur, planè derelictos esse à Deo, séq; etiam excitatos à Deo & armatos ad eos prorsus perdẽdos ac delẽdos, sicuti gloriatus est aduersus populũ Dei blasphemus ille nebulo Rabschake. 2. Reg. 18. 25. *An absque Iehoua ascendi contra locum hũc ad perdendum eum? Iehoua edixit mihi, Ascende contra regionem hanc, & perde eam.* Et hæc quidem de priore Psalmi parte.

4 *At tu Iehoua scutum es circa me: glo-*

ria mea, & extollens caput meum.

5 *Voce mea ad Iehouam clamanti, respondit mihi è monte sanctitatis suæ.* Sela

6 *Ego cubui & dormiui, experrectus sum: quia Iehoua sustentabat me.*

7 *Non timebo à myriadibus populi, quæ circumstantes posuerint castra contra me.*

At tu Iehoua. Secũda pars Psalmi, in qua ex sensu aliquo præsentiæ ac præsidij diuini, etsi nondũ reipsa liberatus, gloriatur tamen ac si iam liberatus esset: vix enim questus est apud Deũ, cùm cœpit persentiscere eius præsentiã aliquã ac protectionẽ. Non enim quis ad Deũ in Christo Iesu cõfugiet priùs quàm eius præsidium aliquo certè modo percipiat *Venite*, inquit, *ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciã vt requiescatis.* Sed quædam sunt ea, vt ad speciem descendamus, adiumenta quæ sensit Dauid à Deo proficisci, quo tempore ad eum confugeret. Dauid inermis aufugit à filio suo Abschalomo: sensit autem Deum, tãquam scutum, se totum integere ac munire. In ignominia fuit. sensit Deum sibi gloriã esse. Prostratus iacuit: sensit Deum erigere sibi caput. Vt vno verbo dicam, sensit Deum supplere in se omnem defectum. Ita se res habet; profectò nulla re planè deficeris, quam non soppeditabit vnicus ille Deus, si ad eum confugeris, sentiésque

Matth. 11. 18.

Miseria & gloria Dauidis.

tiésque

tiésque vel eum ſolum eſſe tibi omnia. Deſideras ſapientiam? ille tibi erit ſapientia. deſideras gloriam? ille tibi erit gloria. deſideras diuitias? ille tibi erit diuitiæ. denique erit tibi omnia quæ deſideras. Dauid autem dum hæc ſentit, non continet ea apud ſe, verùm quæ ſentit eloquitur, ac primùm profitetur coram ipſo Deo. Sẽſus iſte diuinę miſericordię planè ſupprimi non poteſt & cohiberi, quin erumpat in apertam confeſſioné. Ita enim & glorificatur ipſe Deus & qui eum ſenſum habet maiorem capit conſolationé, aucto nimirũ per confeſſioné miſericordiæ diuinæ ſenſu. Quãtò enim magis prædicamus illũ diuinæ in cordibus noſtris miſericordiæ ſenſum, tantò magis ille accreſcit atque augetur. Qui verò nullum vnquam verbum vel cum Deo, vel cũ hominibus facit de miſericordia Dei in Chriſto Ieſu, is ſatis arguit ſilẽtio ſuo, nondum eſſe ſe eo ſenſu diuinæ miſericordiæ affectum, quo affici eum oportuit.

Diuinæ miſericordiæ ſenſus.

Voce mea. Pergit in gloriatione ſua, ac vt priùs profeſſus eſt coram Deo ipſo eũ miſericordiæ ipſius ſenſum, ita nũc ad homines conuerſus, apud eos eundem illũ prædicat, exorſus primùm à modo ac ratione illa qua miſericordiam Dei conſecutus ſit; deinde ſingulas miſericordię partes perſequens. Ita enim fit, vt & magis glorificetur

Miſericordia impetratæ ratio.

Deus, & homines exemplo illo misericordiæ Dei erga ipsum ædificentur. Neque enim insignis aliqua Dei misericordia confertur in aliquem sua solius causa, sed etiã aliorum, vt & alij ipsius exemplo conuertantur ad Deum, & misericordiam consequantur. *Ideò*, inquit Paulus, *misertus est mei*
1. Tim. 1. 16. *vt in me primùm ostenderet Christus omnem clementiam, vt essem exemplum credituris ipsi in vitam æternam.* Orditur igitur Propheta à ratione ea qua misericordiam consecutus est. Cernitur autem in conuersione ad Deum & precatione: ne quis sit qui putet Deum impertiri gratiam suam non petenti, aut aperire cœlos suos non pulsanti: nedum contemnenti & recusanti oblatam gratiam: vult enim Deus ita exerceri fidẽ nostram: quamuis alioqui non propter preces nostras tanquam causam aliquam meritoriam nobis vel tantillum elargiatur.

Dei fauor erga suos in pericul. constitutos. *Respondit.* Nempè è sanctuario suo cœlesti, atque etiam terrestri, cui tum alligata fuerat visibilis Dei præsentia. Hoc subiectum est, vt sciant omnes non citiùs se aliquid à Deo secundùm ipsius voluntatem petituros, quàm ipse iis sit aliquo certè modo responsurus: atque ita animentur ad preces concipiendas ab ipso precum successu. Videbimus autẽ nõ aliter fieri posse, quin Deus statim respondeat petitioni no-

strae,

ſtræ, ſi conſideremus vndénam ea exiſtat. Exiſtit autem ex Dei ipſius Spiritu ſãcto: fieri autem non poteſt quin Deus audiat Spiritũ ſuum. Vnde Paulus, poſtquam dixit Spiritum pro nobis intercedere ſuſpiriis inenarrabilibus, ſtatim ſubiecit Deum noſſe qui ſit ſenſus ſpiritus ſui: quaſi diceret, oportere Deum audire interceſſionem ſpiritus ſui ac reſpondere ipſius deſiderio. Vnde enim quæſo eſt, quòd cum illis ſuſpiriis inenarrabilibus, de quibus loquitur Apoſt. ſentiamus vnà gaudium ineffabile, & ita à Deo diſcedamus, ac ſi nobis eſſet ſatisfactum, etiam tum cùm nondum impetratum eſt illud ipſum, quod ab eo petitum eſt? nempe nõ aliunde, niſi ex eo quòd Deus petitioni noſtræ reſpõderit. Ita enim ſolet Deus excitata in cordibus noſtris lętitia quadam ineffabili petentibus nobis reſpondere. Eſtque hic ſenſus plus quàm omnia hæc terreſtria, plus quàm vita iſta præſens: quare plus à Deo obtinuit qui ſenſit hanc lætitiam, quàm qui vitam iſtá præſentem, quæque ad eam ſpectant omnia, à Deo expetita adeptus eſt. At verò quid tum Dauidi reſponſum ſit à Deo, id habemus in fine verſus ſequentis, cùm dicit. *Iehoua ſuſtentabat me.* Reſpõdit itaque Deus non tam verbo quàm facto, tum cùm ſuſtentaret Dauidem. Quod dixit ſuprà plu-

Rom. 8. 27. 28.

ribus verbis. Tu scutum es circa me, gloria mea, & extollens caput meum, id vno verbo postea comprehendit, *Sustentabat me*, inquiens, quo significat sensum illum protectionis diuinæ in media persecutione.

Effectus Diuinæ misericordiæ.

Ego cubui. Nunc prædicat effectũ, quod insecutum est tam benignam illam Dei responsionem de qua proximè. Est autem illud, securitas quædam animi, quam ex effectis suis intelligendam relinquit. Sunt autẽ ea, quòd *cubuerit*, quòd *dormierit*, quòd *experrectus sit* ex somno. Vt enim cùm turbatus est animus alicuius præsente aliquo periculo, vel non it cubitum, vel si eat cubitum, non dormit securè: neque molliter expergiscitur, si fortè dormiat. Ita cùm securus est animus, tum quidem vadit aliquis cubitum, dormit securè, suauiter expergiscitur. Quamobrem ex his effectis indicatur alta quædam animi securitas, atque ea quidem spiritualis. Quod igitur reddit securũ animum in periculis, id vides esse Dei præsentiam ac sensum auxilij ipsius. Itaque Apostol. hæc verba habet, *Si Deus nobiscum, quis contra nos?* Sensit enim ex Dei præsentia eam animi securitatem, quæ effecit deinde, vt prouocaret quoscunque hostes salutis ipsius. Illud autem consideratione dignum est, quo sensu Apost. eo loco intelligat præsẽtem sibi Deum. Posteaquam plenè re-

Rom. 8.

[illegible] firma [illegible] Pau [illegible] testimo- [illegible]

nè recensuit Dei omnia beneficia, progressu facto à primo ad vltimum, his verbis: *Quos præsciuit, eosdē prædestinauit, quos prædestinauit, eos vocauit, quos vocauit, eos iustificauit, quos iustificauit, eos glorificauit*: tum subiecit, *Quid dicemus ad hæc?* Cui interrogationi deinde respondet: *Si Deus nobiscum quis contra nos?* Quibus quidem verbis summam fecit omnium superiorum beneficiorum, quæ huc facilè reducuntur omnia, quòd *Deus* sit *nobiscum*. Ergo præsentia Dei percipitur ex ipsius efficacia in nobis vocandis, iustificandis, glorificandis: adeò vt si quis velit cognoscere an Deū sibi habeat præsentem, videndum illi sit an vocatus, an iustificatus sit, & per hæc tanquam media ascendendum ad prædestinationē & præscientiam Dei, quæ sunt ab æterno. Tum ne quis fortè dubitaret de his beneficiis per quæ præsentem significauit nobis Dominum, deducit nos ad illud donum Iesu Christi filij sui omnium donorum maximum: atque argumento à maiori ad minus sic concludit: *Is quidem qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Vides igitur à Christo dato argumētari Apostolum ad omnia cætera dona, vt scilicet ex eo discamus, quoties velimus scire an Deus per beneficia sua nobis sit

Quomodo Deus nobiscum.

præſens, toties ad Chriſtum recurrendum nobis eſſe, videndúque an Chriſti, an mortis & reſurrectionis eius participes fiamus, ſine quo profectò nulla Dei eſt nobis præſentia, nulla Dei in nobis efficacia.

Præſentia Dei gracioſa effectus.

Sed, vt redeamus eò vnde cœpimus: Conſtat quidem illud, præſentiam Dei, ac ſolam quidem eam, hominem reddere ſecurum: quod vſque adeò verum eſt, vt ſi tollas eius prę́ſentiam: non ſit homini niſi pauor & horror, pæſertim præſente aliquo graui periculo, vel, ſi adſit tranquillitas animi aliqua, non ſit illa niſi ſecuritas carnalis: quod indicium eſt futuri exitij repentini. Paulus *Cùm dicēt,* inquit, *pax & tuta omnia, tunc repentinum iis imminet exitium, ſicuti dolor partus mulieri vterum ferenti, nec effugient.* Quamobrem, vt ſit profundus ſomnus, vt ſit mollis ex ſomno expergefactio, hoc eſt, vt ſit vera animi ſecuritas, videndum ſemper cuique eſt, vt Deum ſibi præſentem ſentiat: præſentem, inquam, dũ it cubitum, dum noctu vigilat: neque enim priùs noctu debet interrumpi ſomnus noſter, quàm ad Deum nobis ſit recurrendũ, quamuis homines vulgò noctu maximè diſtrahi ſoleant curis huius mundi, aut rebus etiam leuioribus ac vanioribus. Nihil autem plus habet virium, vel ad ſedandum animum nocturno tempore, vel ad reuocandum

1. Theſſ. 5. 3.

candum somnum, reficiendúmque corpus quiete, quàm suauis illa de Deo cogitatio. Denique dum manè expergiscitur, videndum est cuique vt inueniat Deum præsentem: dum egreditur domo, dum ingreditur rursus, dum edit, dum bibit, dum quiduis facit, perpetuò requirenda est Dei illa præsentia. Præsentem autem Deum habemus omni tempore, si quod Dauid fecit, voce ad Iehouam clamauerimus, vel si etiam, cùm voci non est locus, corde eum inuocauerimus, id profectò quod sine impedimento negotiorum etiam grauissimorum fieri potest, vt ne dicam hac potissimum ratione etiam promoueri omnes honestas occupationes huius vitæ, & cum voluptate quadam ineffabili administrari. Fundamētum autem huius præsentiæ est Christus, sine cuius cruce ac sacrificio, ante oculos posito, nullus patet ad Deum aditus.

Non timebo malum. Hoc versu securitatem illam, quam sensit ex Dei præsentia, amplificat, dum dicit non futurum vt in posterū sibi metuat, ne à myriadibus quidem hostiū. Ergo amplificatio est, partim à futuro tēpore, partim à multitudine inimicorum: quasi dicat, Non modò securus fui, sed in posterum etiā adeò securus ero, vt si myriades populi positura sint circa me castra, non tamen metu concutiar. *Alius Diuinæ præsentiæ effectus.*

Dauidis fiducia nos ad inuictā constantiam hortatur.

Rom. 8. 36.37.

Ex quo disces, eam esse vim securitatis animi in Deo, vt nihil prorsus sit quod ipsa non exsuperet. Hinc Paulus posteaquam enumerasset multa quæ nobis in hac vita aduersantur, cuiusmodi sunt, angustia, oppressio, & cætera, subiecit tandem, *Imò in his omnibus plus quā victores sumus per eum qui dilexit nos.* En tibi fundamentum securitatis istius ac victoriæ, Dei nimirùm in Christo dilectionem. Cùm enim est sensus ille dilectionis Dei in Christo, ac proinde vitæ futuræ gustus aliquis (posterius enim hoc ex illo priori sequitur continuò :) tum quidem ita subuehitur aliquis supra ista omnia inferiora, vt ex alto ea quasi dispiciat atque contemnat.

Causa ex Apostolo petita.

Causam autē cur per charitatem Dei plus quàm victores simus, ibidem affert Paulus, *Nam persuasum mihi est*, inquit, *neque mortem neque vitam.* &c cæt. *posse nos separare à charitate Dei.* Quòd si enim possent ea, quæ in illo capite enumerata sunt, nos ab illa Dei charitate separare, tum profectò facilè iis succumberemus: quum verò non possint efficere, quin Deus in Christo nos diligat, & nos quoq; sentimus illam in Christo dilectionem, atque ex dilectione vitam, profectò nunquam futurū est vt nos illa prorsus opprimant: verùm contrà fit vt nos illa omnia exsuperemus.

Dauid

Dauid igitur, vt ad eũ reuertamur, sensu diuinæ præsentiæ ac charitatis in media persequutione ita abreptus est, vt securè contempserit omnem vim aduersariam, vt qui persuasum habuerit, non potuisse illã separare ipsum ab illa Dei in Christo charitate, cuius tum quidem sensum aliquem habuit. Neque enim putandum est vocem hanc Dauidis & gloriationẽ extitisse ex securitate illa potissimùm, quam tum habuit fortasse ex certitudine vitæ huius præsentis conseruandæ, verùm multò magis ex securitate illa quã habuit ex certitudine vitæ illius futuræ, ídque ex sensu dilectionis quæ est in Christo Iesu. Illud enim discrimen est piorum & aliorum, qui spem suam non porrigunt vltra vitam hanc: hi nunquam securi sunt, neque gloriari possunt, nisi priùs de hac vita certi: illi verò etiam incerti de hac vita, certi autẽ de futura illa ex sensu dilectionis Dei in Christo, securè agũt ac gloriantur, Sadrach, Mesach, & Abednego, Nabuchadnezari comminanti extrema omnia, ita responderunt: *Non sumus*, inquiunt, *solliciti de hoc negotio.* Atque hactenus fuit secunda pars Psalmi, gloriatio & prædicatio beneficiorum Dei: quorum primum fuit sensus auxilij diuini, secundum securitatis & præteritæ, & futurę: ex sensu

Fiducia Dauidis impiorum omnium scopuli.

Piorum & impiorum circa hunc scopum discrimen.

Dan.3.16.

Summa partis 2.

illo diuini auxilij profectæ. Sequitur Psalmi pars tertia.

8 *Surge, Iehoua, serua me, Deus mi, qui percußisti omnes inimicos meos ad maxillã, dentes improborum confregisti.*

9 *Iehoua est ipsa salus: super populum tuum sit benedictio tua. Sela.*

Tertia pars Psalmi.

Surge Iehoua. Postrema pars est Psalmi, vt diximus, in qua Dauid, rursus cõuersus ad Deum, primùm precatur pro se, vt eripiatur è præsenti periculo: deinde pro populo. Precatur autem pro se his verbis, *Surge*, inquit, *Iehoua, serua me*. Nam tantisper dum non sentimus plenam liberationem, cogitamus de Deo, ac si nostri esset immemor, & otiosus in cœlis sederet, abiecta omni suorum in terris cura. *Serua me*, inquit, *Deus mi*. Deum quasi complexus corde, petit vt se seruet: nam cùm dicit, *Deus mi*, Deum amplexatur & per fidem ad se applicat: hoc autem & dicit & facit iure fœderis in quo promisit Deus se fore in Deum Abrahamo & semini eius. Quòd si hîc quæras, cùm iam ante gloriatus sit in Deo, eiúsque præsentia quam etiam in mediis malis animo percepit, gloriatus, inquam, sit aduersus omnes inimicos suos, aduersus vitam, aduersus mortem, quî fit vt nunc tam sollicitus sit de hac vita, petátque à Deo tam anxiè v

Fidei luctatio. *Fidei lucta & ictatio.*

Gen. 17. 1.

Cur Dauid, certus de vita æterna, de præsenti anxius appareat.

ipsum eripiat è præsenti periculo? Re-
ondeo, non pugnare inter se, securitatem
lam summam piorum, ac contemptum
tæ præsentis: & petitiones huius gene-
s, quibus etiam vitæ istius conseruatio-
em implorant, ea tamen conditione, si ita
isum sit Deo eam ipsis gratificari ad glo-
am suam: neque enim pij, dum præsen-
unt vitam illam alteram, eáque freti glo-
antur aduersus omnia, abiiciunt interea
mnem planè curam vitæ huius præsentis,
ámque temerè profundunt. Vita enim
æsens, inter cætera, Dei donum est non
ılgare.

Qui percussisti. Mouet Deum ad con- *Pathetica Dauidis oratio.*
ruationem sui inposterum, à præterita
perientia in perdendo inimicos ac im-
obos, eadémque operâ afficiendo illos
nominia: ignominiosum enim putatur
se, percuti ad maxillam, & dentium con-
actionem perpeti, id est enim in faciem
in os recipere verbera. Nota hoc lo-
duos quasi annulos illius catenæ planè
ıreæ, quam nectit Paulus: nempe, expe- Rom. 5.3.
entiam & spem, *Experientia*, inquit, *spem
icit.* Petitio ista Dauidis ab experientia
æterita, nititur spe præsentis ac tempo- *Spes certa piorum.*
iæ liberationis obtinendæ. Etsi qui-
m illud fatear quòd non sit spes certa,
nimirùm, quæ non pudefacit, nisi pro-

missæ illius liberationis æternæ. Ea eni propriè est, quæ sequitur experientiam l berationis diuinæ, præsertim si cum expe rientia liberationis, sensus sit charitat Dei in Christo Iesu. Ideóque subiecit A postolus eo in loco: *Charitas enim Dei ef fusa est in cordibus nostris per Spiritum San ctum*: quasi dicat, Oportet spem istan non pudefacere, certámque esse, cùm ex perientia illa, ex qua est spes, præsertin sit dilectionis Dei in Christo Iesu.

Cur de populo Dauid sit sollicitus.

Iehoua est ipsa salus. Precatur deinde pr populo, etiam pro ea parte populi quæ se cuta est Abschalomum & ab eo est sedu cta. Miretur quis Dauidem in tanto di crimine vitæ suæ, in precibus suis tam me morem esse populi & salutis aliorum, ho enim videri potest hominis extra omn periculum & discrimen positi, non se mo dò, aut suam vitam, sed etiam alios alio rúmque salutem respicere. Verùm scien dum est illud esse ingenium vniuscuiusq membri communis illius corporis Chr sti, vt non modò afficiatur sensu miseri suæ, verùm etiam sympathia miseriæ re quorum membrorum eiusdem corpo commoueatur: quantóque magis sen suæ ipsius miseriæ afficitur, tantò mag perpetiatur vnà cum aliis, quos videt m seros. Qui enim nihil ipse miseriæ v

qua

quam sensit, is profectò ineptus est ad commiserãdum aliorum quos miseria oppressos intuetur. Ratio autem petitionis huius est à natura ipsius Dei. *Iehouæ*, inquit, *est ipsa salus*: quasi dicat, natura est Iehouæ vt seruet ac misericors sit: Deo itaque exponit suam ipsius naturam. Non enim est argumentum aliud ad Deum commouendum efficacius, quàm si proferas ipsi suam ipsius naturam, præsertim eam qua misericors est: Deus enim misericordia maximè delectatur, & natura sua in primis misericors est. Deus est charitas. Id autem à nobis fieri non potest, vt Deo naturam illam suam, præsertim misericordem, proferamus, nisi demus operam vt eã ipsi oculis mentis videamus priùs, atq; etiã corde sentiamus aliquo certè modo infinitam illam Dei essentiam, sapientiam, iustitiam, potentiam, misericordiã, &c. nisi malumus de re ignota garrire, & cum Deo ludere, ponentes ob oculos ipsius, quod nos ipsi neque vidimus vnquam, neque sensimus. Quamobrẽ ad serias preces imprimis opus est notitia naturæ diuinæ, neq; notitia modò, sed etiam sensu eiusdem: laborãdúmq; nobis est in tota vita, vt, quantum fieri potest, infinitã illam maiestatem animo isto finito & angusto cõcipiamus. Huic igitur sit omnis honos & gloria. Amen.

Petitionis postrema ratio.

Dan. 4.



PSALMI VI.

Argumentum.

Psalmus est ἰυκτικός: à Dauide autem scriptum es-
se constat ex epigraphe.

Eius partes sunt duæ. *Prima*, est petitio, qua Da
uid ægrotus iram Dei flagellúmque deprecatur
misericordiam implorat, & saluté petit à versu 2
ad versum vsq. 9. *Deinde*, certa fide percipiens qu
petiuit, aduersus inimicos de attétione & benefic
tia Dei insperata gloriatur à versu 9. ad finé Psalm

PSALMVS VI.

1 *Magistro symphoniæ fidium, ad grauen*
symphoniam: Psalmus Dauidis.

2 *Iehoua, ne in ira tua reprehendas me, ne-*
que in æstu tuo castiges me.

3 *Gratiam fac mihi, Iehoua, quia langui-*
dus sum: cura me, Iehoua, quia conturbata sun
ossa mea.

4 *Et anima mea conturbata est valdè: tu*
ergo, Iehoua, quoúsque?

5 *Reuertere, Iehoua, eripe animam meam*
serua me, propter benignitatem tuam.

6 *Nam non est in ipsa morte recordati*
tui, in sepulchro quis celebraret te?

7 *Defatigor in gemitu meo, facio vt nate*
totam noctem lectus meus: lachrymis meis spon-
dam meam liquefacio.

8 *Cõtabescit præ indignatione oculus meus:*
consenescit propter omnes hostes meos.

Ieho-

IEHOVA. Prima pars Psalmi, vt diximus, Petitio. primùm deprecatur malũ, deinde precatur bonum, vt liberationẽ & salutem. Petitionibus autẽ suas admiscet causas. Primùm itaq; deprecatur iram Dei. *Iehoua*, inquit, *ne in ira tua, &c.* Dauid, vt apparet ex ipsius verbis, graui morbo detentus, Deum sibi infensum animo concepit, ex quo factum est, vt iam ægrotus magis affectus sit animo, sensu iræ diuinæ, quàm corpore sensu morbi. Nam, vt de ira Dei dicamus nonnihil, ea intolerabilis est: neque enim nisi æterno supplicio eius hominis, qui est extra Christum, ipsi potest satisfieri. Non est vnius anni morbus, non duorum, non pluriũ, non mille annorũ, qui satisfacit irato Deo, si extra Christum comperiaris: verùm in æternum tibi luendum est. Vt autem ira Dei in se intolerabilis est, ita etiam sensus carnis & corruptæ huius naturæ concipit eam implacabilem, neque vllâ misericordiâ temperatam: id de quo conquestus est Cain, *Maior est*, inquit, *pœna mea, quàm vt sustinere poßim.* Atqui mentitus est profanus Cain aduersus Deum, ipsiúsque naturã. Nam vbi peccatum abundat, gratia superabundat, si modò induci possit animus ad eam implorandam. Tum enim iram Dei in Christo placabilem sentiet, quam caro

Prima pars continet petitionem, cuius causas addit.

De ira Dei, Locus.

Gene. 4. 13.

& corrupta natura ſentit implacabilem.
Dauidis ſenſus quàm Spiritualis fuerit. Dauid igitur, vt ad eum reuertamur, concepta ſemel hac Dei ira, magis perturbatus eſt ſenſu iræ, quàm ſenſu grauiſſimi morbi: petit itaque, vt à ſe remoueatur, non tã morbus, quàm iræ ſenſus: petitionémque illam ingeminat, vt qui feriò attactus fuerit illius iræ ſenſu, *Domine*, inquit, *ne in ira tua reprehendas me, neque in æstu tuo castiges me.* Apprehendit enim non iram modò, ſed æſtuantem iram.

Doctrina afflictionis piorum quid. In perſona igitur & exemplo Dauidis hoc nobis diſcendum eſt: Afflictiones piorum non ſunt illæ quidem totidem ſatisfactiones pro peccatis ipſorum, neque Deus imponit eas ſuis eo fine, vt ſatisfiat iræ & iuſtitiæ ſuæ. Nam pro peccatis omniũ credentium Chriſtus ſemel, & id quidem perfectè, ſatisfecit iræ patris ſui. *Papiſticus error de ſatisfactione.* Mentiuntur enim Papiſtæ, dum dicunt afflictiones piorum eſſe totidem temporarias pœnas propter peccata ipſorum inflictas, quas quidẽ illos oportet luere, vel in hoc ſeculo, vel in altero, hoc eſt, in purgatorio. Nam Chriſtũ morte ſua aiunt duntaxat abſtuliſſe pœnã illam æternam. Quo mendacio quis non videt, quãtum derogetur vnico illi & perfecto Chriſti ſacrificio. Affirmo igitur non eſſe iſtas ſatisfactiones pro peccatis, aut pœnas peccatorum, verùm paternas caſtigatio-

gationes, quibus Deus ex misericordia sua exercet suos in hac vita, ne prorsus carnali ista securitate consopiantur, & pereát vnà cũ reliquo mundo. Quod quidẽ: etsi verũ sit, tamen afflictiones ita sæpenumero obscurant nobis misericordiá illá & charitatẽ Dei in Christo, vt pij etiá metuant sibi dũ affliguntur, ne simul ac semel vniuersa Dei ira in ipsos effundatur. Existit autẽ hic metus, non tam ex parte animi regenita, q̃ ex carne & parte animi nó regenita: Nam charitas foras eiicit metũ. Ex carne igitur fuit quòd Dauid tantoperè sibi metuerit ab ira Dei & preces ipsius aliquid carnis & corruptæ naturæ admixtũ habuerunt. Preces enim vel sanctissimorũ hominũ aliqua ex parte labem aliquã attrahunt ex reliqua hac naturæ impuritate. Interea tamẽ se cõuertit ad Deum, iramq, ipsius deprecatur: quod rursus argumẽto est apprehẽdisse eũ etiá tũ aliquã partem gratiæ illius Dei in Christo Iesu. Secus enim profectò ad Deũ accedere nõ fuisset ausus, aut eũ tã familiariter compellare, nisi allectus aliquo sensu illius in Christo misericordiæ. Pij igitur in media illa afflictionum nube, certè aliquẽ, etsi sæpè subobscurũ illum, misericordiæ & gratię diuinę aspectũ habent, quo quidẽ allecti, Deũ adeunt, eiúsq; misericordiam implorant. Neq; enim possunt, qui non tá-

1. Ioan. 4. 18.

Preces sanctorum quales.

Piorum tutum refugiũ.

guntur aliquo saltē sensu misericordiæ ipsius, misericordiā eā implorare. Sed rē similitudine hac declarabimus. Cū inter aspectum nostrum & solem nubes iniicitur media, illa quidem nihil imminuit reipsa illius splendoris, qui naturâ est in Sole: etsi propter interiectam nubem Sol in fulgore suo non conspiciatur à nobis: Ita inter aspectum nostrum & Solem illū faciei ac misericordiæ Dei, interiecta afflictionis nubes, nihil quidē detrahit reipsa (quicquid demùm videtur nobis) dilectioni Dei, qua Deus nos in Christo prosequitur, quæ, vt Deus ipse immutabilis est, ita in æternum manet eadem, sibíque semper similis, atque etiá tum manet, cùm nos maximè affligit. Nam etiam tum diligit nos in illo suo dilecto, quanquam non ita videtur nobis, propter afflictionem inter nos eiúsque faciem interiectam. Rursus autem, vt iniecta nubes, non ita obfuscat nobis Solem, vt prorsus nihil solaris luminis conspiciatur, & putemus diem statim in noctem esse conuersum, verùm, per mediam illam nubis opacitatem, aliquid certè lucis nobis affulget: ita neque interiecta illa afflictionis nubes, ita obscurat Solem illū amoris Dei in Christo, quin aliquot eius radij mētes & corda nostra irradient. Hæc à me ideò dicta sunt paulò prolixiùs, vt in afflictionum tene-

Similitudinis expositio & applicatio.

Vsus similitudinis.

bris

bris non sinamus nos ira opprimi, vt omnis planè diuini in Christo fauoris radius ex oculis nostris auferatur: verùm perpetuò tãtum luminis illius, quod est in facie ipsius, à nobis conspiciatur, quantum nobis possit monstrare viam ad misericordiã & liberationem implorandam.

Gratiam fac mihi. Hactenus semel atq; iterũ deprecatus est irá, nunc gratiá & misericordiã Dei implorat. *Gratiam*, inquit, *fac mihi Iehoua.* Vidit irã Dei, vidit quoq; gratiã: aufugit ab ira, apprehẽdit gratiam, atq; ea apprehensa, clamauit, *Gratiam fac mihi Iehoua*, erumpens enim in hæc verba absque dubio suaui cum sensu apprehendit gratiã. Neq; enim leui aliquo affectu & perfunctoriè moueri debemus ad inclamãdá Dei gratiã, verùm, simul cum voce, quæ in ore est, oportet esse profundum eius in corde sensum. Nã pij ferè nõ citiùs gratiá implorant quàm eam impetrant, perfusis cordibus ipsorum sensu eius quàm suauissimo. *Quia languidus sum.* Argumentũ imploratæ gratiæ subnectit à lãguore & morbo suo, quasi dicat, Vides, Deus, quàm grauiter morbo crucier, ergo gratiá fac mihi. *Cura me Iehoua.* Rursus implorat misericordiã. Frequẽs ista precatio subindicat eũ vehementer luctatũ cum sensu iræ diuinæ: neque enim, si afficeremur serio diuinæ i-

Ira deprecata, gratia imploranda, exemplo Dauidis.

Causa imploratæ gratiæ.

Repetitio pathetica.

ræ ſenſu, ſic, vt ſolet fieri, perfunctoriè & ieiunè gratiam ac miſericordiam Dei imploraremus, ſed intenſa atque iterata voce inclamantes Deum, conaremur elabi ex illo ſenſu: fieri enim non poteſt vt quis, oppreſſus Dei ira, effugiat, niſi ſolus Deus, porrecta quaſi è cœlis manu, illo iræ ſuæ onere ipſum leuet.

Partes argumẽti à languore petiti. *Quia conturbata ſunt oſſa mea.* Repetit argumẽtum à languore & morbo ſuo, ſed explicatum ſuis partibus. Sunt autem eæ, primùm conturbatio corporis, & firmiſſimarum ac ſolidiſſimarum partium eius, nẽpe oſſium: deinde conturbatio animę propter iram Dei incumbentem: quaſi dicat, & corpus meum conturbatum eſt totum, & anima mea conturbata eſt, nihil deniq; in me ſani eſt. Benè quidem habet, cùm laborante corpore afficitur animus & vrgetur peccati conſcientia. Nam ideò humiliatur à Deo corpus exteriùs, vt interiùs animus quoq; humilietur: niſi enim animo aſſurgeremus aduerſus cœlos ac Deũ ipſum, quorſum opus eſſet corporis deiectione? Ergo humiliabatur Dauidis corpus, vt animus humiliaretur. Peſſimè enim iſta inter ſe conueniunt, ſuperbiens animus, & corpus humiliatum. Grauiſſimum autem *Grauiſſimum Dei iudicium.* cenſetur illud Dei iudicium, cùm humiliato corpore, non ſimul flectit Deus ac mo-

net spiritu suo animum ad resipiscentiam. & morbus ipse desperatissimus est, cùm in sensu corporis grauissimo cor cuiusquam manet ἀναισθητον absque sensu iræ, absque sensu peccati, absque sensu gratiæ. Quod si sit in aliquo sensus iræ Dei, ea est ad cõuersionem ac sanitatem recuperandam recta via: verùm cùm non est sensus iræ, nec est conscientia peccati, tum quidem rugit homo afflictus instar Leonis, vt de se testatur Dauid. Non autem magis se potest ad Deum conuertere, quàm bellua ad percussorem. Consolationes quæ vulgò ægrotis administrantur, eò ferè tendunt omnes, vt in morbis securi sint Dei, securi sint peccati, securi sint cœlorum & inferorum. Esto, inquiunt, animo forti, ac ne cogita de morte, sed cogita de corporis sanitate recuperanda. Commendant igitur patientiam ac fortitudinẽ animi: sed an eam quæ est ex fiducia in Iesu Christo? Minime: verùm patientia illis, est animus ferox, superbiens, ac colluctans cum manu illa Dei, quæ ægrotis incumbit. Si autem interea mentionẽ aliquam quis fecerit Dei, ipsiúsq; misericordiæ in Christo, peccati, vitæ, & mortis futurę, statim excipiunt sermonem hunc tristem nimis, & vt loquuntur, melancholicum, quique ad morbum augendum magis, quàm imminuendum, perti-

Psal. 32. 3.

Stupor impiorum.

net. At multò meliùs ageretur cum ęgroto aliquo si ipsi commendaretur animus deiectus, contritus ac humilis. Nam deiecto semel animo, resipiscentię ac implorationi diuinæ gratiæ locus aliquis est. Obserua rursus: Dauid hoc loco, vt Deum ad misericordiam flectat, proponit ipsi quasi oculis videndam, & amplificat miseriam suá, ita vt tota quodammodò à Deo semel cóspici possit. Misericordia præsupponit miseriam: vt autem Deus sit misericors, oportet nos priùs simus miseri. Quamobrem, si quis velit implorare Dei misericordiam, necesse est profiteatur coram Deo se miserum esse. Nam quod illud quis de se verè potest dicere, nempe miserum esse naturâ suâ: atque ea confessio imprimis Deo grata est, in cuius conspectum non est prodeundum cum ostẽtatione liberi nescio cuius arbitrij: quasi verò in natura nostra positũ sit vel semel cogitare de aliquo, quod Deo gratum acceptúmque sit. Id enim esset detrahere gratiæ Dei in Christo Iesu, à qua sola habemus quicquid in nobis facultatis est ad bene cogitandum, bene volendum, bene operandum. Neque rursùs in Dei conspectum prodeundum est, cum opinione meritorum ac satisfactionum nostrarum. Nam qui in his quærunt iustitiam, eam non inueniunt. Hæc venditabat

Misericordia Dei obiectum, miseria nostra.

Pelagianorum impietas.

Phari-

Pharisæus ille, sed domum reuersus est nō iustificatus. Prodeundum est in conspectū Dei potiùs cum misero illo publicano, qui exposita Deo miseria sua, misericordiam inuenit. Nunquam tamen Papistæ miseriā naturæ nostræ videre vel possunt vel volunt, ad hoc vt misericordiam Dei consequantur. Ergo, ex his quæ dicta sunt, apparet proponendam esse Deo miseriam nostram.

Exemplū in Pharisæo.
Luc. 18. 10.

Sed quî fieri potest, vt proponat quis Deo miseriam suam, nisi ipse prior cognoscat se miserum? Cognoscere autem se miserum, ac agnoscere miseriam suam, non est perfunctoriè profiteri se mortalem esse, peccatorem esse, multis malis obnoxiū esse, cùm interea nihil horum apud animū suum seriò sentiat, cuiusmodi sunt vulgò hominum de seipsis confessiones: verùm agnoscere miseriam, est penitus corde sentire quàm miser sis, est conscium esse peccati tui, cum serio animi dolore. Bis miseri sunt qui non vident se miseros. Miserum est per se peccatorem esse, vt homicidam, vt adulterum, &c. at non videre quantum mali sit in peccato, nulla conscientia moueri vel homicidij, vel adulterij, illud est iterum miserum esse. Ea enim est carnalis illa securitas, qua tanquam lethargo consopiuntur homines, adeò vt nihil vel vi-

Piorū in obtinenda Dei misericordia officium:

Duplex hypocritarum miseria.

dere vel sentire possint, donec tandem repentino aliquo iudicio ita excitentur, vt nunquam iis imposterùm sit conquiescendum. Hactenus amplificatum est argumētum à miseria sua.

Deprecationis iræ conclusio. *Tu ergo, Iehoua, quousque, &c.* Nunc concludit deprecationem iræ. verùm, conclusio conuersa est in querimoniam: conqueritur enim, Iehouam diutiùs à se auersum manere, vt facilè apparet ex sequenti petitione, qua dicit, *Reuertere Iehoua.* Ergo per effectum doloris vehementis præcisa est integra sententia, & aposiopesis quædam est. Sed expendenda est querimonia. Dauid, vt videtur, ad breue tempus duntaxat destitutus Dei sui præsentia, ita tamen queritur ac si à multo tempore & iamdiu priuatus fuisset iucundo illo Dei sui aspectu: *Quousque enim*, inquit.

Viuus piorum sensus. Quibus consueuit esse præsens Deus, eius absentiam vel ad momentum ferre vix possunt: ipsis hora annus est. Ita quidem illis videtur, præsertim si interea iratum sibi Deum sentiant. Nam de securis istis nihil dico, qui libenter Deum nunquam intuentur, aut eius recordationem colunt. Quàm multi enim sunt vbique, qui, si detur iis frui hac vita, satis magna cum copia rerum earū quæ ad hanc vitam tolerandam pertinent, nunquam profectò

cuperent,

cuperent, neque vitam alteram, neque cœlos, neque Deum videre. Adeò fallax est carnalis ista securitas! Persuadet enim nobis esse fœlicitatem aliquam ac veram tranquillitatem ac pacem sine Deo, sine Christo, in hac vita. Hactenus conclusit deprecationem iræ.

Reuertere, Iehoua. Nunc rursus implorat gratiam. *Reuertere,* inquit, *Iehoua, eripe animam meam.* Nempe ex præsenti morte serua me, non quidem propter meritum meum, sed propter benignitatem ac meram gratiam tuam. Agnoscit igitur præsentiam Dei, & fauorem ipsius, esse non quidem ex aliquo suo merito, sed ex mera Dei gratia. Vnde & illud apparet, in querimonia illa, in qua expostulauit cum Deo de absentia sua diuturna, non tum questum eum de iniuria aliqua, quasi verò Deus iniustè cum eo egerit, secus quàm ipse de Deo sit meritus. Nam si Dei præsentia sit ex gratia, profectò absentia Dei non ex aliqua in Deo iniustitia. Estque illud discrimē inter querelas fidelium ac infidelium. Fideles non queruntur iniuriam sibi à Deo fieri, contrà quàm mereántur de ipso: verùm, inter querendū, agnoscunt perpetuò iustè in se fieri, quicquid fit Dei voluntate, idque se iustè commeritos esse: queruntur autem & expostu-

Gratia iterata imploratio.

Querelæ fidelium quales.

lant cum Deo, ex filiali quodam amor Dei & desiderio præsentiæ ipsius ineffabili. At infideles in querendo, erumpunt i accusationes, & blasphemias, accusan Deum iniustitiæ, suam intereà innocentiam afferunt: querimonia autem eorum est ex Dei odio & detestatione præsentia ipsius, ad quam intremiscunt, & à qua to ti abhorrent quàm maximè. Videndun itaque nobis est diligenter, vt inter querendum, modū imponamus affectionibu nostris, ne sua intemperie eò nos proue hant vt vel vlla labecula aspergamus san ctam illam ac inuiolabilem maiestatem quod vel eò diligentiùs nobis faciendun est, quòd omnes nos per naturam eò pro pendeamus, & imprimis difficile sit, ebul lientes affectus & impuras cogitationes i ordinē cogere atq; reprimere. Quamobr laborandū est perpetuò, vt de Deo nostr non nisi summa cum reuerentia & sanct tate & sentiamus & loquamur.

Infideliū querela.

Institutio.

Nam non est in morte recordatio tui. Alt rum est argumentum petitionis, à glor ipsius Dei: vt enim prius illud fuit miseria sua vers. 3. 4. ita hoc posterius e à gloria Dei, quæ per præsentem ha Dauidis conditionem videri potest in di crimen vocari. *Domine*, inquit, *in mo non est recordatio tui*: ergo me serua in v

Alterum arg. petitionis à gloria Dei.

u

uis. Ideò in terris viuentium voluit nos Deus ad tempus agere, & quasi peregrè videre absentes à Domino, vt ipsum in filio suo Christo, fide priùs coleremus in hac vita, quàm eius aspectu frueremur in altera. Illud pij quicunque agnoscentes cupiunt etiam in hac vita ad tempus conseruari, in eum nimirum finem, quem ipse præstitit, &, vt Apostolus de creaturis loquitur, non tam voluntate sua, quàm eius voluntate, qui voluit eos ad tempus peregré agere, absentes à Domino suo. Dum igitur videmus sanctos etiam hanc vitam, eiúsque conseruationem obnixè à Deo petere, non est putandum illud ab iis fieri, ideò quòd tantopere vel vita ista delectentur, vel mortem hanc corporalem exhorrescant, verùm quòd Deum suum, inter viuentes velint glorificare, regnúmque eius & Ecclesiam in terris militantem promouere, neque priùs hinc migrare quàm aliquot Christo lucrifaciant, &, porrecta iis quasi manu, secum vnà in cœlos subuehant. Nam vita ista præsens Deò in primis & negotiis Dei est consecranda. Atque hæc causa fuit, cur Ezechias denunciatam sibi mortem tam grauiter tulerit, Isai. 38. Hæc etiam causa fuit cur Paulus, cùm alioqui probaret migrare è corpore, elegerit tamen manere

Cur in terris ad tempus pij agunt, priùs quàm migrent ad Dominum

Rom. 8. 20.

Sancti cur in vita præsenti manere cupiant.

Exemplũ in Ezechia, Paulo, & Dauide.

in corpore: nempe, vt Ecclesiam Christi propagaret: & homines ad fidem adduceret. Philip. 1.23. 24. Hæc denique causa fuit, cur Dauid in tot Psalmis suis vitæ prolongationem implorauerit. Psalm. 30. & 88. & 118. Verùm, Dauid hoc Psalmo non tam oppressus fuisse videtur morbo corporis, quàm animi, & iræ diuinæ sensu. Ideóque non tam metuit sibi à morte ista corporali, quàm ab abiectione illa spirituali, idque ex sensu carnis & partis non regenitæ. Quamobrem de morte illa æterna eum locutum possumus intelligere & de sepulchro inferorum, in quibus nemo celebraturus est Deum. Vides itaque etiam pios ab inferis abhorrere & sibi metuere: vides rursus eos vitam & salutem desiderare, non tam sua, quàm gloriæ diuinæ causa. Neque enim Dauid hoc loco, tam suam vitam & salutem respexit, quàm Dei laudem: ídque imprimis eum malè habuit, quòd abiectus semel à facie Dei, non futurus esset vnquam præco laudum diuinarum. Estque hoc argumentum certissimum salutis piorum, si sentiant in se desiderium ac studium glorificandi Deum suum. Ab inferno enim non potest detineri anima illa, quæ ad Deum eiúsque gloriam aspirat.

Defatigor in gemitu meo. Hactenus fuerun

runt implorationis misericordiæ duo argumenta. Primum versu 3. 4. Secundum versu 6. Sequitur tunc tertium vers. 7. 8. à dolore & sensu miseriæ grauissimo. Dolorem hunc pluribus modis effert: primùm enim *defatigor*, inquit, *in gemitu meo:* deinde, *facio*, inquit. *Vt natet lectus meus tota nocte:* tertiò, *lachrymis meis*, inquit, *spondam meam liquefacio*. Verba hæc fateor hyperbolica sunt: neque enim reipsa vel fecit Dauid vt nataret lectus ipsius, vel liquefecit lachrymis spondam suam: non minor tamen fuit internus animi dolor, quàm sunt externa ista quæ hîc prædicantur. Nam proculdubiò si fieri potuisset, vt tot lachrymas caperent Dauidis oculi, quot satis fuisset, vel ad lectum natare faciendum, vel ad spondam liquefaciendam: certè tantus fuit dolor in corde Dauidis, quantus suffecisset ad eas resoluendas & effundendas: & quidem reuerâ dolore illo propè consumptum & quasi liquefactum fuit corpus Dauidis. Nam, vt de dolore hoc Dauidis semel dicam, primùm illud constat, non tam fuisse conceptum eum ob morbum corporis, quo tamen grauissimè premebatur, quàm ob sensum iræ diuinæ & horrores illos inferorum, quo quidem dolore nôn est alius maior. Deinde, Dauidis fuit, qui iam antè sæ-

Tertium arg. petitionis, à sensu miseria grauißimo.

Dolor summus Dauidis.

Eiusdem consideratio.

pè guſtaſſet quàm benignus eſſet Dominus, vt loquitur Petrus: neque etiam hoc ipſo tempore planè expers fuit omnis ſenſus miſericordiæ ipſius. Ideóque factum eſt, vt tam grauiter tulerit iram offenſi Dei. Nam certum eſt, quò maior eſt experientia miſericordiæ diuinæ, eò magis ægrè fert aliquis iram Dei, magiſque mouetur offenſione patris tam benigni. Atque his de cauſis veteres illi viri ſancti, aliàs præditi inſigni magnitudine animi ac fortitudine, cùm ventum eſt ad Deum; tenerrimam aliquam animi mollitiem & deiectionem prodiderunt. Dauide nemo fuit maiori animi magnitudine, hoc tamen tempore totus eſt quaſi effuſus in lachrymas. Neque enim exerenda eſt inexpugnabilis alioqui animi magnitudo, quando cum Deo eiúſque ira nobis res eſt, hoc enim quid aliud eſſet quàm obfirmare cor noſtrum aduerſus manum Dei nos humiliantem? Quòd autem non experiamur nos in nobis ipſi eum dolorem, quem Dauid in ſe fuiſſe, hoc Pſalmo nobis prodidit, in cauſa eſt ſtupor iſte cordis noſtri & ſecuritas iſta carnalis, qua adeò conſopiti ſumus omnes, vt nihil ſentiamus. Quòd ſi vel leuiter afficeremur terroribus illis mortis æternæ, tum quidem ſeriò doleremus, neque mirùm nobis vide-

Vnde tātus pauor in Sanctis, alioquin ſingulari quadam animi magnitudine præditis.

videretur, tam deiecto animo fuisse tam magnanimum alioqui virum hoc tempore. Quare in id incumbendum est perpetuò, vt hunc veternum, qui dies noctésque obrepit nobis, excutiamus, illud persuasum habentes fore tandem, vt, nisi nosipsi diiudicemus, puniamur à Domino, & immisso aliquo iudicio, ex tam alto quasi sopore expergefiamus.

Contabescit præ. Adhuc persistit in amplificando illo suo dolore. *Contabescit*, inquit, *præ indignatione oculus meus*, hoc est, vt ego puto, præ ira qua commotus est in hostes suos, quemadmodum verba sequentia videntur innuere. Consenescit, inquit, oculus meus, *propter omnes hostes*, nempè, omnes qui hostili animo me obseruant, mihi prostrato insultant & de me quasi triumphant. Solent enim impij lætari calamitatibus piorum, & prostratis insultare, eo nimirum fine, vt si fieri posset, adigant eos ad desperationem, dum vident spem suam ludibrio haberi. Est enim hoc grauissimum persecutionis genus, cùm objicitur ipsis frustrà se sperasse in Deo, & illusos quasi ipsos à Deo, cui tamen tantoperè sunt confisi. Dauid proculdubiò eiusmodi tentationem perpessus est hoc tempore. Grauis fuit Dauidi morbus corporis, grauior

Doloris amplificatio.

Impiorũ ingeniũ.

fuit ei sensus iræ DEI: auxit autem supra modum dolorem illum qui ex vtroque fuit hostilis illa in miseriis irrisio. Lætantur igitur impij calamitatibus piorum, cùm intereà non sit quod glorientur. Est quidem quod pij glorientur aduersus improbos deiectos. Nam vnà cum deiectione impiorum, est piorum liberatio. Verùm, cum afflictionibus piorum nulla est vera ac solida impiorum liberatio. Videntur quidē sibi impij, deiectis piis, ad tempus liberiùs viuere, & felices esse: verùm finalis, vt ita dicam, liberatio non futura est. Quamobrem, si verè loquamur, nulla est impiis ex afflictione piorum lætitiæ materia, neque proderunt Papistis quicquam tot victoriæ reportatæ de Euangelij professoribus, quot sermonibus hominum perferuntur ad nos quotidiè ex illis gentibus, quas religionis causa exercet DOMINUS hodierno die. Manebit enim DEO Ecclesia in terris, vsque ad secundum illum Christi aduentum, etiamsi conspirent aduersus eam omnes reges terræ. Potentia enim DEI est, qua mirabiliter conseruatur tam pusillus grex, in medio tot circumstantium vndique luporum. Sed finge Ecclesiam DEI, id quod maximè velint impij, totam simul ac semel è terris sublatam, an propterea feliciores erunt

Nulla impiis lætitia materia, præsertim in afflictionibus piorum.

Impiorū summa miseria.

erunt impij? An mundus hic consistit propter improbos? An hæc dierum & noctium vicissitudo est propter impios? An terra profert fructus suos propter impios? Minimè. Hæc enim omnia, propter pios & Ecclesiam Dei? Quòd si electorum semel esset consummatio, impiorum omnium ne locus quidem inueniretur in terra. Quæ igitur illis lætitię ac gloriationis materia in afflictionibus piorum? Palestina, quæ semper inimica fuit populo Iudaico, lætata est aliquando calamitatibus Iudæorum. Sed quid ad eos Deus? *Ne lætare* inquit, *Palestina tota, quia virga percutientis te confracta est*: hoc est, quia imminuta est ac debilitata potentia regni Iudaici. quasi dicat Dominus, Non est quod de ea re glorieris, ô Palestina. Quæ cùm ita sint, profectò dum nos quotidiè videmus, qui lætantur malo Ecclesiarum Gallicarum, & gaudent aduentu Hispanorum in hanc insulam, ad euertendum Euangelij hanc quam profitemur puritatem, quíque in sinu suo quasi ad hæc ridentidum, inquam, bonos istos viros videmus, non est quòd tam inuideamus bono vel ipsorum, vel eorum quorum sunt fautores, quàm misereamur istorum miseriæ, & gratulemur futuræ Ecclesiæ felicitati. Christus ait. *Amen, amen, dico vobis, vos lugebitis, & la-*

Exemplum.

Isai. 14. 29.

Matt. 5.4. *mentabimini, mundus verò gaudebit: vos tri-*
Luc. 6.25. *stes eritis, verùm tristitia vestra euadet in gaudium.* Item beati, *qui lugent, nam ipsi consolationem accipient.* Rursus, *Væ vobis,* inquit, *qui ridetis: nam lugebitis & flebitis.* Quibus ex verbis, obseruamus necessariam hanc vicissitudinem, quòd, qui nunc lugent cum Ecclesia Dei, post hanc vitam ridebunt cum ea in æternum: qui verò nunc rident in miseriis Ecclesiæ, post hanc vitam flebunt ac lugebunt in æternum.

9 *Recedite à me, omnes operarij iniquitatis: nam audit Iehoua vocem fletus mei.*

10 *Audit Iehoua deprecationem meam: Iehoua orationem meam suscipit.*

11 *Erubescant, & conturbentur valde, omnes inimici mei: reuertātur, erubescentes momento.*

Altera pars Psalmi. mæstitia piorū vertitur in lætitiā, deiectio in fiduciam.

Recedite à me. Hactenus fuit prima pars Psalmi in petitionibus posita, sequitur altera, in qua Dauid derepente, percepta Dei beneuolentia & gratia illa, quam petiuit per apostrophen quandam, gloriatur aduersus inimicos suos. Consideratione dignum est illud, quàm citò mutatio facta sit ex sensu iræ in sensum ineffabilis misericordiæ: modò luctatus est cum ira Dei; nunc verò erigitur misericordiæ fiducia. Pius aliquis oppressus ira, & ad inferos propemodùm depressus, dicto citiùs eri-

gitur

gitur ad cœlos vſque? hoc Deo tribuendũ eſt ipſiúſque potentiæ, qui vel vno intui- Pſal.30.6. tu poteſt ſuos mirabiliter liberare. Dauid alibi ſubitaneam hanc mutationem ſic expreſſit, *Cum momento fuit in ira ſua, vita adeſt beneuolentia eius: veſperè facit vt diuerſetur fletus, manè verò adeſt cantus.* Tum operæpretium eſt videre, quonam modo ſua ipſius experientia ſubitam iſtam mutationem declaret poſtea eodem illo Pſalmo: nam conuerſus ad Iehouam dicit, *Iehoua, beneuolentiâ tuâ conſtitueras in monte meo robur: ideò ego dicebam in tranquillitate mea, non dimouebor in ſeculum: ſed te abſcondente faciem tuam fui conturbatus.* Tum ſubiungit, *Ad te, Iehoua, clamaui & Iehouam comprecatus ſum.* Et paulò poſt addit, *Conuertiſti planctum meum in choream mihi, ſoluiſti cilicium meum, & accinxiſti me lætitiâ.* Nemo eſt piorum omnium, qui non, ſi Dei miſericordiam in miſeria ſua ſeriò imploret, ſit percepturus ſubitò & præter exſpectátionem ſuam conſolationem certè aliquam. Nam Deus ad ſe cum fiducia accedentes ac mœſtitia, dimittit à ſe cum lætitia: quam qui vel ſemel guſtarunt, eam anteponunt omnibus mundi huius regnis. Quamobrem quiſquis queritur deſtitui ſe vera conſolatione, culpam ſibi ipſi, non Deo imputet, vt qui ad Deum per fidem non acce-

dat: ac misericordiam petat, quam si peteret, profectò subitam ac insperatam persentisceret.

Effectus veræ fiduciæ, sancta gloriatio. Sed vt reuertar ad Dauidem, is præter exspectationem confirmatus, conuertit se ad inimicos suos, & aduersus eos sic gloriatur: *Recedite*, inquit, *à me omnes operarij iniquitatis.* Operarios iniquitatis vocat, vt apparet, hypocritas, qui cùm animo planè hostili essent, simularunt tamen ore amicitiam, quos satis copiosè describit Dauid Psalm. 41. 6. & deinceps. Ergo per operarios iniquitatis, intelligit hypocritas: ac si ita eos alloquatur, Venitis ad me inuisendum non beneuolo aliquo animo, sed, planè hostili, vt voluptatē capiatis ex afflictionibus meis & de me prostrato triumphetis, sed spe vestra delusi estis: Ideò recedite à me.

Fundamentum sanctæ gloriationis. Tum fundamentum gloriationis huius substernit, fiduciam gratiæ expetitæ, eámque ter prædicat. *Iehoua*, inquit, *audit vocem fletus mei*: deinde, *Iehoua audit deprecationem meam*: tertiò, *Iehoua suscipit orationem meam.* Triplex ista repetitio haud dubiè procedit ex firma apprehensione gratiæ, quam prædicat. Nam ex perceptione gratiæ existit in corde lætitia: perfuso autem iam corde lætitia, non potest quis sibi modum imponere, quin erumpat in

prædi-

prædicationem gratiæ, quam etiam nunquam ſatis poteſt prædicare. Neque enim nos, ſi firmiter à nobis apprehenderetur, Dei illa in Chriſto gratia, tá frigidè, támque ieiunè de ea, ita vt ſolemus, loqueremur. Illud autem notatu dignum eſt hoc loco. Dauid, paulò antè cùm luctaretur cum ira Dei, colluctabatur quoque cum tentatione inimicorum ſuorum, eáque nõ mediocriter perturbatus fuit: nunc verò fiducia gratiæ erectus, tantùm abeſt ab eo, vt commoueatur iniuria inimicorum, vt etiam aduerſus ipſos ſecurè glorietur. Homo, extra Dei gratiam in Chriſto ſemel poſitus, & perturbatus ira Dei, ſimul exponitur mille tentationibus, cruciatur rebus omnibus, etiam leuiuſculis, inuidet, indignatur, metuit, imò non longè abeſt nonnunquam quin in deſperationem agatur. Rediens autem in gratiam cùm Deo & fiduciam obtinens, acquirit ſimul eam animi ſecuritatem qua aduerſus res omnes glorietur. Quare, nihil beatius eſt pace illa & reconciliatione cum Deo, quæ eſt per fidem in Chriſto Ieſu, qui ſolus eſt omnis felicitatis ac pacis noſtræ materia: cuius ſacrificio ſemel inſpecto pacatur ira Dei aduerſus nos, ſimúlque tranquillantur credentium conſcientiæ.

Erubeſcant & conturbentur valdè. Ha-

Sancta gloriationis complementum. ctenus substratum est fundamentum gloriationis, nempe fiducia misericordiæ Dei in Christo, nunc redit ad inceptam illam gloriationem. *Erubescant*, inquit, *& conturbentur valde omnes inimici mei.* Sensus est, quasi dicat, Exspectabant isti perniciem meam, nunc spe sua frustrati sunt, ideoque erubescant. Nam, vt ita dicam, erubescentia & pudor faciei sequitur ex delusa spe. Spes non pudefacit. Deinde, *erubescentes*, inquit, *conturbentur valdè*: quasi dicat, spe delusi ac erubescentes, tantùm molestiæ animis percipiant ex spe sua frustrata, quantùm lætitiæ acceperant ex sperata pernicie mea. Nam dolor & vexatio animi sequitur ex pudore, vt pudor ex spe delusa.

Rom. 5. 5.

Repentina piorum lætitia, & impiorum tristitia. Tum addit, *Reuertantur erubescentes momentò*, quasi dicat venerunt ideò ad me, vt hostili animo obseruarent calamitates meas, déque me triumpharent: nunc verò *reuertantur*, reuertantur autem *erubescentes*, propter spem: delusam, idque *momentò*: vt ego quidem momentò præter exspectationem sensi gratiam ac liberationem, sic illi pariter momentò erubescant. Nota igitur, vt pij subitò & præter exspectationem eriguntur diuinæ gratiæ ac liberationis sensu, ita impios subitò corripit pudor, ac ex pudore dolor: ex eóque maximè

est

est pudor & dolor, quòd vident pios præter spem suam erectos ac liberatos. hæc enim erit bona pars confusionis & doloris reproborum, in die illo aduentus Domini, quos illi in terris aliquando iuerant perditum, ac prorsus è medio sublatos iam sibi persuaserant, ita vt nulla vnquam in posterum super terram esset eorum memoria: quòd, inquam, comperient eos momentò & subitò, præter spem & exspectationem glorificari, inspectantibus ipsis, & toto mundo. Superest vnica obiectio dissoluenda. *De vera & falsa gloriatione.*

Quid? an non hoc est stultorum & arrogantium sic gloriari aduersus inimicos? Respondeo: gloriantur boni, gloriantur & mali, sed dissimili modo. Gloriantur quidem mali confisi viribus suis, cõsiliis suis, opibus suis, denique brachio humano. Gloriãtur verò boni, freti dũtaxat præsentia & gratia diuina. Estque hoc nihil aliud quàm Deum glorificare: quòd ipsum quid aliud est, quàm prædicare internam illá in Deo fiduciam, ídque in os ipsorum hostium ac irrisorum qui in id maximè incumbunt, vt separent nos à charitate illa in Christo, vt omnem sensum gratiæ ipsius simul ac semel extinguant? vnde Paulus, *Quis separabit nos à charitate Dei in Christo?* verum quidem est etiam impios solere Dei Rom. 8, 38.

fauorem & gratiam venditare. Sic gloriantur hodierno die Pontificij de Christo, interea dum Christum in mébris suis persequuntur: quemadmodum Paulus de
Rom.2. 17. Iudæis dixit, quòd gloriati sint in lege Dei, etiam tum quum legem transgrederentur. Sic etiam blasphemum Rabsacem gloriam esse legimus aduersus Hieru-
2.Reg.18. 25. salem, se non nisi fretum Dei ipsius mandato, venisse ad eam euertendam. Somniant impij ad se pertinere Dei gratiam & fauorem, quum tamen Dei ira perpetuò ipsos persequatur. Verùm, tandem apparebit vanam esse hanc istorum hominum gloriationem, vt ad tempus omnia videãtur ipsis succedere ex animi sui sententia. Tandem etiam apparebit non esse inanem piorum gloriationem, vtcúmque inanis esse videatur ea impiis in præsenti seculo. Neq; enim, vt ait Paulus, spes nostra vnquam nos pudefaciet, verùm tandem coronabitur gloriâ ac immortalitate in aduentu illo glorioso Domini nostri Iesu Christi: cui cui cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis honor & gloria, Amen.

PSAL.



PSALMVS XVI.

Argumentum.

Ode eſt generis mixti, partim εὐκτικοῦ, partimq; εὐχαριστικοῦ. Dauidis autem eſſe ex inſcriptione patet.

Conſtat autem, *Primùm*, petitione ſalutis, ad verſum vſque quartum. *Deinde*, gloriatione quadam in Deo, ad verſum 7. *Tertiò*, benedictione Dei, inde ad finem Pſalmi.

1 *Inſignis ode Dauidis. Serua me, Deus fortis: nam me recipio ad te.*
2 *Dicis Iehouæ, ô anima mea, Dominus meus es: bonum à me non peruenit ad te.*
3 *Sanctis qui in terra ſunt & magnificis: in quibus tota oblectatio mea eſt.*

SERVA ME. Prima pars odes eſt petitio, Petit autem ſui conſeruationẽ, qua quidẽ ſignificat ſe veniſſe in diſcrimen aliquod, expoſitúmque fuiſſe periculo, vel ex Idololatria, vel ex alia quadam cauſa. Ideo enim ſupplex ad Deum confugit, petiuítque vt ipſum ſeruaret. *Serua me.* Argumentum petitionis eſt à fiducia ſua in Deo, qua nimirum in præſenti periculo Deum corde amplectitur, in Chriſto Ieſu. Dauid igitur conſtiturus ſeſe coram illo Dei tribunali,

Prima pars petitio cõſeruationis

à fiducia ſua, in Chriſtum recumbente,

petiturúsque salutem ac conseruationem sui non audet prodire in Dei conspectum, nisi priùs inuestitus Christo ipsiúsque iustitia, hoc enim est credere in Deum, vel se ad Deum recipere. Nulla enim vnquam, vel regibus ipsis etiam optimis alia comparendi corã Deo ratio fuit: nisi per fidem Iesu Christi, citra quam nullus vnquàm patuit ad Deum aditus. Per quem, inquit, Apostolus aditum habemus per fidem ad Deum.

Rom.5.2.

Fiducia huius, hypotyposis egregia.

Dicis Iehouæ. Per apostrophen conuertit se ad animam suam, eámque introducit, fidem illam, quam ipse priùs professus est, contestantem, petentémque pariter ipsius conseruationem. *Dicis Iehouæ*, inquit: quasi dicat, Tu, ô anima, & conscientia mea, testaris vnà mecum id me verè ac sincerè profiteri, quòd dico me in Deum credere. Nam nisi anima interiùs contestetur & dicat quasi, *Tu Deus meus es*, frustrà os nostrum profitetur exteriùs in Deo fidem, frustrà dicit, *ad Deum me recipio.* Nisi corde credatur ad iustitiam, non valet oris confessio ad salutem. Ideo Dauid introducit animam suam credentem, & contestantem apud Deum, quòd ipse priùs ore confessus est. At quid dicit anima Dauidis? *Tu Deus meus es.* Agnoscit Iehouam Dominum. Verùm, non tum

Animæ piæ colloquium beatissimum cum Deo.

eminus

minus quasi eum intuetur, sed propiùs
d eum accedens suauiter ipsum amplexatur: id quod est proprium fidei, & particularis illius applicationis quam in fide, esse dicimus. Amplexatur, inquam, eum um dicit, *Dominus meus es*. Atque hinc equitur illud quod iam priùs ipse Dauid Deo petiuit: *serua me*. Idem enim petit nima Dauidis quod ipse ante eam petierat. Verùm petitio hæc animæ Dauidis non est hoc loco expressa.

Bonum à me. Occupatio aduersus intellectam & suppressam illam petitionem animæ Dauidis. Obiici enim à Deo potuit, ad quid seruarem te? quid boni potest te ad me peruenire? Respondet anima Dauidis primùm concessione, *bonum à me non peruenit ad te*: quasi dicat, Concedo illud vitam meam nihil tibi prodesse posse. Fides enim nostra, vt acquiescat in sola Dei per Christum misericordia, necesse est submissè admodum ac sobriè de se sentiat: & fidelem quémque oportet ita niti sola Dei gratia, & Christi merito, vt interim alienissimus sit ab omni opinione meriti sui, agnoscátque, posteaquam omnia quæcunque potuit effecit in Dei gloriam, nonnisi inutilem se seruum esse. Sed expendenda nobis veritas est huius sententiæ, ne sit aliquis qui opinetur non se-

Occupatio & concessio piæ animæ Dei maiestatem humiliter intuentis.

Accuratior concessionis Dauidicæ consideratio.

riò & ex animo hoc dictum esse à Dauide, sed perfunctoriè ac simulatè. Deus itaque, (quâ est in se perfectione ac summa beatitate) neque adiuuatur aliqua ex parte bono nostro, neque læditur aliqua ex parte malo nostro: homo ipse vel bono suo adiuuatur, vel malo læditur. In eo enim est felicitas nostra, vt Deum glorificemus. Rursus miseri sumus, cùm non tribuimus Deo gloriam suam, vel etiam cùm eum ignominiâ afficimus, quantum in nobis est: id quod lætitia ista, quam percipimus ex obedientiæ conscientia; rursúsque tristitia, quam sentimus in nobis ex inobedientiæ ac rebellionis conscientia, satis possunt testari. Miser ego homo, inquit Paulus, quis me liberabit à corpore mortis huius?

Rom. 7. 24.

Concessionis correctio.

Sanctis qui. Altera pars responsionis per correctionem: quasi dicat, quanquam bonum à me non peruenit ad te: tamen, ô Deus, serua me sanctis qui in terra sunt, hoc est in gratiam Ecclesiæ in mundo militantis, vt illi saltem prodesse possim Quamuis igitur ex bono nostro nihil ad Deum accedere possit, tamen non est putandum planè inutilia esse bona opera: homo enim prodesse potest homini, & infimus quisque vsui esse potest summo cuique, vt in corpore humano pes capiti prodess

deſſe poteſt. Ex hominibus autem Reges, ex quo genere fuit Dauid, maximè prodeſſe aliis poſſunt, qua ſunt armati à Deo, potentia & authoritate. Tenentur etiam ex officio aliis prodeſſe, in primis verò & Eccleſiæ Dei, qua de re legimus Nabuccadnezarem alioqui Ethnicum à Daniele admonitum, vt intelligant Chriſtiani principes vel multò magis illud ab ipſis requiri.

Regem & principum officium.

Dan. 4. 30.

Magnificis. Quos *Sanctos*, vocauit priùs, nunc, *Magnificos* appellat: vide igitur quanti fecerit Dauid Eccleſiã iſtam Dei, nunc adeò ſpretam, & contemptam, non à principibus modò, ſed ab hominum vulgo. Manent tamen Sancti, quicquid de iis ſentiat mundus, reipſa magnifici. Daniel eodem ſenſu nominat Eccleſiam, populum Sanctorum excelſorum, hoc eſt deſtinatorum ac ordinatorum ad excelſa omnia, vt gloriam illam, & vitam æternam. *In quibus.* hic fons eſt boni illius quo affecturus eſt Sanctos, nempe oblectatio in iis, charitas & dilectio: fruſtrà enim proſumus, vel Eccleſiæ vel alicui eius membro, niſi diligamus. Si inquit Paulus, *bona mea omnia inſumam in alendis pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Prodeſſe quidem aliis poſſumus, ſed ſine charitate nihil ipſi nobis proſumus, ne-

Sancti, id eſt, pij & credentes in Chriſtum, ſunt magnifici.

Dan. 7. 27.

1. Cor. 13. 3.

que quod Deo gratum est facimus, vt quod non sit profectum illud ex corde sincero ac sanctificato. Nota hîc præterea causam cur velint pij viri aliquandiu in terris his conuersari. Ea autem est voluptas quam capiunt ex societate piorum, quorum causa superuiuere volunt, vt eos promoueant, seruéntque ex illis aliquot, priusquam è viuis commigrent. Nam oblectationem in Deo suo longè maiorem habituri sunt in vita altera. *Bonum est mihi*, inquit Paulus, *si hinc migrauero: Vobis non item.* Quòd si amor huius mundi imprimis, vel eorum quæ in ipso conspicimus, nos ad mundum hunc totos alligat, profectò plusquam miseri sumus in tota huius mundi affluentia.

Cur pij in mundo diutius manere cupiant.

Philip. 1,23.24.

4 *Multiplicant dolores suos, qui alienum dotant. non libabo libamina eorum ex sanguine: neque assumam nomina eorum in labiis meis.*

5 *Iehoua est portio prædij mei, & peculij mei. tu sustentas sortem meam.*

6 *Funiculi acciderunt mihi in amœnis: etiam possessio mea elegans est pro me.*

Psalmi altera pars: pia gloriatio.

Multiplicant dolores suos. Secunda pars odes, gloriatio: deportatio aliquo ex præcedente petitione gaudio. Nemo enim vllo adhuc tempore ad Deum in Christo frustrà accessit. Collato autem quasi felici

lici illo ſtatu ſuo, cum conditione Idololatrarum, pronunciat, & exclamat eos quodammodo præ ſe miſeros eſſe. *Multiplicant*, inquit, *dolores ſuos, qui alienum*, hoc eſt, qui peregrinum Deum & Idolum *dotant*, hoc eſt, matrimonio ſe copulant cum eo perſoluta magna dote. Dici enim vix poteſt quàm multa profundant Idololatræ in Idola ſua. At quid inde fructus percipiunt? Nihil profectò ſolidi ac veri gaudij, quale Dauid percepit ex connubio illo ſuo cum vero Deo, ſed triſtitiam duntaxat omnémque miſeriam. Superſtitio enim ſemper coniuncta eſt cum trepidatione animi. Quid enim poteſt animum hominis ſtabilire præter ſolum Deum? Pollicentur aliis Papiſtæ pacem ac ſecuritatem, qua tamen ipſi non fruuntur.

Idololatrarum furor.

Obſerua igitur hoc loco: vbi quis ſemel percepit illud gaudium, quod eſt à vero Deo, tum videntur ipſi miſeri omnes ij, qui relicto vero Deo ad Idola confugiunt. tum enim ſatis perſpicit quis Idololatrarum miſeriam, poſteaquam oculus, luce illa quæ eſt à facie Dei iam colluſtratus eſt. Atque is eſt qui ſolus poteſt de miſeria humana rectè iudicare. Idololatræ ipſi cęcutiunt ad ſuam miſeriã. Sunt etiam alij qui Deum alioqui profitentur ore, non tamen ſentiunt corde ſolidum quod ab

Coniugij cæleſtis fructus eximius, de felicitate & miſeria ferre rectum iudicium.

ipso est gaudium in Christo Iesu: quorum iudicium de Idololatris sæpe est peruersum. De his loquor, quos videas passim, nullo discrimine, ad societatem suam admittere quos libet, siue veros professores, siue crucis Christi hostes, quales sunt hodierno die Pontificij. Vt igitur semel dicam, nullus est æquus miseriæ Idololatrarum iudex, nisi qui ipse priùs sensit beatitatem illam quæ est in vero ac vnico Deo.

Libamina idololatrarum. *Non libabo libamina.* Vt priùs pronuntiauit miseros esse Idololatras, ex sensu illius gaudij quod ex vero Deo percepit, ita nunc profitetur se communionem nullam habiturum vel cum Idololatris, vel cum Idolis ipsis: significátque se ex animo detestari falsum illud cultus ac religionis genus. *Non libabo*, id est non sacrificabo cum iis, more profanarum Gentium, quæ sanguine libabant etiam humano, non modò contra legem Dei, sed etiam contra humanitatem ipsam. *Non assumam nomina eorum.* Hoc ampliùs quiddam est, quàm quod dixit proximè: quasi dicat, ne nominabo quidem Idola & alienos deos. Extat de hac re interdictum, *Nomen deorum alienorum ne recordemini, neque auditor in ore tuo*: siue in iuramentis, siue in sermone familiari. Exemplum huius habes hoc loco, & promissionem apud

Leuit.3.17.

Exo.23 13.

Pro-

Prophetam. Extrema,est igitur ista detestatio quam profitetur Dauid, vel nominis ipsorum. Quod si quis penitus intueretur miseram illam Idololatrarum conditionem, simúlque sensu aliquo veri Dei in Christo Iesu afficeretur, is profectò cum Dauide totus ab Idololatris & ab Idolis abhorreret, & vel ipsa eorum nomina auribus ipsius essent inaudita: Nam quæ communio luci cum tenebris? Neque profectò tot reperirentur apud nos qui tam libenter exciperent pestes illas, & Antichristi emissarios, qui huc transmittuntur ad euertendam illam quam profitemur Euangelij puritatem. Ose.2.17. 2. Cor.6. 14.

Iehoua est portio. Postquam prædicauit Idololatrarum miseriam, simúlque professus est quàm alienus ipse sit ab iis: Nunc prædicat felicitatem suam, quam obscurè opponit Idololatrarum miseriæ. Materia gloriandi de felicitate nostra, qui legitimum Deum legitimè colimus, satis magna nobis suppeditatur, quoties inspicimus in miseros illos qui peregrinum cultum consectantur, hoc profectò vsum haberet hodierno die, si quis seriò miseriam illam inspiceret, sed pauci admodum id faciunt: vnde fit, vt neque eorum miseria, neque sua felicitate commoueantur. Sed expendamus diligentiùs verba. *Iehoua est,* *Felicitas piorum idololatrarum miseriæ opposita.*

Hæreditas piorum, Deus. inquit, *portio prædij mei.* 1. Gloriatur de hæreditate sua: hæreditatem suam appellans ipsum Iehouam. Nam primùm necesse est fiamus participes ipsius Dei, iuxta promissionem in fœdere, *Ero Deus tuus*: vt deinde communicentur nobis omnia eius beneficia in Christo Iesu, vt sunt remissio peccatorum, iustitia & vita æterna. 2. Gloriatur deinde in firmitate illius hæreditatis suæ, idque per apostrophen ad Deum. *Fructus hæreditatis.* Qui quidem re monemur, vt inter gloriandum subinde oculos ad Deum couertamus ad hoc, vt in gloriando maior sit fiducia quæ est ex solo Dei aspectu & præsentia. 3. Gloriatur in amœnitate hæreditatis suæ. *Funiculi*, inquit, *acciderunt mihi in amœnis*, hoc est, hæreditas, quæ mihi quasi funiculis diuisa est & assignata, incidit mihi in amœna loca. De funiculis vide Mosen. 4. Gloriatur, postremò in elegātia hæreditatis suæ ipsi cōpetēti, (vt ita dicā) proportionabili. *Possessio*, inquit, *mea elegans est pro me*, hoc est elegantia eius mihi proportione respondet. Vt igitur in summa dicam, gloriatur Dauid in hæreditate sua & in hæreditatis suæ adiunctis. *Deut. 32. 9.*

Vsus doctrinæ & gaudij spiritualis. Verba hæc Dauidis magna sunt omnia & grandia, arguúntque ingentem sensum Dei in Christo & vitæ illius æternæ, qui sub his verbis erat in animo Dauidis, Imò

vetò

verò arguunt maiorem sensum quàm sunt 1.Pet.1.8.
ipsa verba. Nam gaudium illud fidei, ducente Petro, ineffabile est, ac gloriosum. Sensus igitur maior fuit verbis, at res ipsa, & materia gaudij, maior est omni sensu: cuius vniuersi non sumus capaces. Quamobrem hæc verba Dauidis tam grandia, arguunt gaudium illud quod in futura vita percipiemus, & illud quidem admirabile. Danda itaque nobis opera est, vt cùm hæc legimus quæ à Dauide in hac ode prodita sunt, vt & sensum aliquem gaudij similem in nobis percipiamus, & ratiocinemur ex his ipsis verbis, immensum fore illud gaudium quod aliquando planè hauriemus, cùm patefiet nobis in secũdo aduentu suo Dominus noster Iesus Christus, & quando, qualis est in se, gloriosum eum videbimus.

7 *Benedicam Iehouæ qui consulit mihi, etiam per noctes, erudientibus me renibus meis.*

8 *Propono mihi Iehouam iugiter: quia à dextera mea est non dimouebor.*

9 *Idcircò lætatur animus meus, & exultat gloria mea: etiam caro mea habitat securè.*

10 *Quia non es derelicturus animam meam in sepulchro: non permissurus es, quem benignitate prosequeris, videre corruptionem.*

11 *Facturus es vt experiar semitam vitæ: satietatem gaudiorum ante faciem tuam.*

amœnitatem ad dexteram tuam, in æternum.

Psalmi postrema pars benedictio.

Benedicam Iehouæ. Tertia pars odes, Benedictio. Percepta iam illa in Iehoua felicitate sua, Dauid erumpit in benedictionem, redundante nimirum ingenti illa lætitia quæ ex Deo fuit, in authorem suum Deum: laudatio enim ac benedictio nominis Dei, continuò sequitur perceptá ex Deo lætitiam: quáque mensura est lætitiæ, eadem mensura est benedictio. Si nulla lætitia, nulla benedictio, si aliqua lætitia, siue ea maior, siue minor sit: aliqua est etiam benedictio, siue maior, siue minor, pro modo nimirum ac mensura lætitiæ. In cælis autem, vbi perfecta futura est lætitia, perfecta & assidua futura est benedictio & die & nocte, ac sine intermissione dicturi sumus, *Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.*

Apoc. 4. 8.

Benedictionis Dauidis argumenta.

Qui consulit mihi. Sequuntur argumenta benedictionis, à Dei beneficiis in ipsum. Nam postea quam lætitia cordis semel linguam nostram soluit ad Deum laudandum, non deerit tunc laudandi eum materia. Beneficia Dei sunt duplicia: partim sunt præsentis vitæ, vt consilium Dei, & immota quædã firmitas, hoc versu & sequenti: partim sunt vitæ futuræ, vt resurrectio, vt vita æterna, à vers. 9. ad finem odes. Primum itaque argumentum bene-

1. Duplicia Dei beneficia.

benedictionis est, ex eo quòd Deum sibi habeat consiliarium. *Qui consulit mihi*, inquit: hoc est, quod dicit non semel, *Qui docet me vias suas*. Docuit autem Dauidem vias suas, dum mentem ipsius illuminaret ad hoc, vt posset videre quæ Deo accepta essent & grata. Docuit etiam vias suas, dũ cor ipsius dirigeret ad ea quæ Deo grata essent persequenda. Ea enim est cæcitas mentis nostræ quoad res bonas Deóque gratas, item peruersitas cordis: vt nisi admota manu sua Dominus nos illuminet, reformet, atque refingat, nihil boni ne cogitare quidem possumus. Quamobrem quisquis vult rectè & cum laude aliquid agere, necesse est sibi quærat Deum consiliarium. Id autem vt faciant imprimis admonentur Reges. Dauidis Reges exemplo, qui non solitus est prodire in consilium cum regni proceribus, nisi consulto prius Deo suo. *Per noctes*. designat tempus quo ipsi consuluerit Dominus, quasi dicat. Non solùm interdiu, sed etiam noctu. Hoc est nullo non tempore mihi consulit. Ex quo apparet Dauidem, hominem alioqui distractum per noctes, variis curis, & tentationibus, (vt erat is homo typus Christi, & afflictiones eius ac tentationes erant typi imprimis viui futurarum Christi afflictionum ac tẽtationum.)

Psal. 25. & alibi passim.

Via Dei, quomodo aird nidfiant.

Tempus cõsiliorum Dei.

Apparet, inquam, eum ita distractum, noctu solitum esse ad Deum suum precibus confugere, eóque in rebus perplexis vti tanquam consultore, quò etiam factum est, vt quemadmodum ipse de se alicubi testatur, quum anxius ac perturbatus totus sæpenumero cubitum iret vesperi, manè hilaris, & gaudio quasi perfusus totus sese lecto reciperet. Non alia autem de causa id fiebat, quàm quòd Deum consultorem etiam noctu habuerit. Graue ac molestum quidem est, si noctu priuetur aliquis requie ista corporis, & corporeorum sensuum, qui iam per totum diem multa audiendo, multa videndo, multa tractando, &c. defessi sunt. Verùm grauius est illud, si quis non modò priuetur ea requie corporis, verùm distrahatur interea curis & cogitationibus animi variis. Molestiarum istarum per noctem hæc ferè causa est, quòd tam pauci in molestiis suis ad Deum confugiant eásque in sinum quasi eius deponant: verùm malint ipsi sine Deo cum molestiis ac curis suis colluctari atque confligere, quo fit vt his ipsis magis magísque distorqueantur.

Consilij huius salutares & læti exitus.

Molestiarum nocturnarum causa.

Erudientibus me renibus meis. Modum notat quo Deus ipsi consuluerit: est autem per Spiritum Sanctum, quem nomine Renum intelligit. Renes autem meto-

Modus consilij diuini.

metonymicè ponuntur pro cogitationibus, quarum ſedem Scriptura facit Renes, Modum igitur innuit Dauid, non extraordinarium aliquem, vt, qui fuit per viſioné, per inſomnia, ſed ordinarium qui fuit per verbum, de quo haud dubiè ſæpe meditatus eſt Dauid, & per Spiritum Sanctum cum verbo operantem. Quare, quòd non exſpectemus Deum extra ordinem nobis affuturum, & nobiſcum vel interdiu vel noctu coram loquuturum, non putemus ideo non poſſe fieri, vt nos eo vtamur conſiliario: quandoquidem hic modus cum Deo agendi ordinarius per verbum & Spiritum Sanctum ſuum longè optimus ſit, vt, exempli gratia, ſi quis interdiu vel noctu oppreſſus animi moleſtia apud ſe reputet illud Apoſtoli, *De nulla re eſtote ſoliciti, ſed omni in re precibus & ſupplicatione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Si quis inquam, reputet hoc, is profectò cum Deo non minùs familiariter agat, neque minorem ex eo capiat conſolationem, quàm ſi coram eum alloquatur.

Pſal. 7. 10.

Pſal. 1. 2.

Huius modi vſus.

Philip. 4. 6.

Propono Iehouam mihi. Secundum argumentum benedictionis Dei, à beneficio illo quo immotus & firmus ſtat etiam in hac præſenti vita. *Non dimouebor*, inquit, Senſit enim ſe Dauid firmum ac ſtabilem

2. Benedictionis diuinæ argumentum: Perſeuerantia in vera pietatis profeſſione.

in Deo, etiam in mediis illis commotionibus & afflictionibus, quibus tum agitatus est. Idem sentiunt pij alij cùm ad Deum se recipiunt. Sic Paulus, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Sensit enim se fundatum ac radicatum in illa charitate Dei, vt ipse alibi loquitur. Idem tamen aliàs sensit se grauiter exerceri secundùm exteriorem (quem vocat) hominem. Sed quid interea de interiore homine? præmimur, inquit, sed non opprimimur: hæsitamus, sed non hæremus: persequutionem patimur, sed non deserimur: deiicimur, sed non perimus. at verò impij, cùm rebus aduersis premuntur, vt non confugiunt ad Deũ, sic nullam sibi in Deo stabilitatem sentiunt. Fateor quidem extra omnem commotionem nonnunquam positi videntur sibi firmi esse: at vel minima aliqua agitatione toti concutiuntur, quo primùm tẽpore defecerint illa quibus freti sunt adiumenta.

Rom. 8. 35.

Ephe. 3. 18.

2. Cor. 4. 8. 9.

Stabilitatis piorũ fundamẽta.

Psal. 3. 6.

Verùm huius stabilitatis fundamenta consideremus. Primum, est hoc quod dicit, *Iehoua à dextera mea est*, quasi dicat, Iehoua me sustentat, vt loquitur alio psalmo. verùm huius stabilitatis altius adhuc principium est. *Propono*, inquit, *mihi Iehouam iugiter.* Hæc est illa in Deum perpetua fiducia, quæ nullo non tempore

eum

eum præsentem nobis facit. Ex Dei autem præsentia, est stabilitas ac firmitas. Quamobrem qui vult firmiter stare, in afflictionibus præsertim, is requirat Dei præsentiam. Præsentiam autem Dei qui vult, fide eum apprehendat: neque, quantum potest fieri, patiatur vnquam eum ex oculis suis discedere.

Idcirco lætatur. Sequuntur alia argumenta benedictionis à beneficiis ad alteram illam vitam pertinentibus, resurrectione ex mortuis & vita æterna. Neque enim satis est, si intueamur benedictiones præsentis vitæ, nisi etiam oculorum aciem dirigamus ad vitam illam alteram, & eminus quasi inspiciamus beneficia illa, quæ in altera vita conferentur, longè maxima. Quòd si gratia Dei vniuersa in Christo Iesu vitæ huic duntaxat astricta esset, nihil profectò essent omnia illa, quæ in hac vita nobis contingunt. Si fides & spes nostra Christo circumscripta esset hac duntaxat vita, miseri essemus. Si tantùm in hac vita, dicit Apostolus, speramus in Christum, omnium mortalium miserrimi sumus. Sed non prætermittenda est formula, qua vtitur in proponendo nobis duo illa futuræ vitæ beneficia. Præfatur enim vers. . lætari se ac ingens gaudium percipe-

3. Benedictionis diuinæ argumentum: vitæ æternæ certitudo & sensus.

1. Cor. 15 19.

Duæ vitæ beatæ futuræ beneficia spes gloriæ Dei & resurrectionis nostræ.

re ex iis. Non eo modo exposuit nobis superiora illa huius vitæ beneficia, neque de iis dicturus huiusmodi vius est præfatione: vt vel ex eo satis appareat maiorem esse lætitiam animi, vel ex spe beneficiorum, quæ in nobis in altera vita conferentur, quàm quæ est ex præsenti fruitione beneficiorum, quæ in præsenti vita nobis contingunt. Gloriamur, inquit Paulus, sub spe gloriæ Dei. En gloriationem sub spe beneficiorum vitæ futuræ: Gloriationem, inquam, indicem ineffabilis cuiusdam animi lætitiæ. Admonet etiam Apostolus, summam esse consolationem vel ex sermonibus de futura illa ac gloriosa resurrectione collatis. Sed paulò diligentius obseruandum est nobis hoc Dauidis exemplum. Vidit ille è longinquo & non nisi post multos annos futuram corporis sui resurrectionem. quàm multi enim anni iam elapsi sunt, ex quo loquutus est hæc, & ex quo vita hac defunctus est? Neque tamen adhuc resurrexit, neque etiam resurrecturus est ante secundum illum Christi aduentum: & tamen vel spe resurrectionis, quæ tam longo post tempore futura erat, tantopere gauisus est! Quid igitur nobis faciendũ est, qui incidimus in ipsum punctum aduentus Christi, &

Rom. 5. 2.

1. Thess. 4. 18.

ſti,& quibus ſemel defunctis vita præſenti futura eſt tam breuis corporum noſtrorum ſepultura?

Sed diligentiùs conſiderāda nobis ſunt 1
Prophetæ verba. *lætitiā cordi* tribuit, *exultationem gloriæ*, hoc eſt linguæ quæ inſtrumentum eſt piæ gloriationis in Domino. Denique *ſecuram habitationem*, *carni* ſuæ attribuit, hoc eſt craſſiori ſui parti, quam corpus vocamus. Hanc enim hominis partem vel imprimis oportet ſuo quodam modo grauiter ferre mortem, vt quæ condenda ſit ſepulchro,& in putredinem conuertenda, emigrante interea anima, altera hominis parte, in cœlos. Hæc ipſa tamen caro ſub ſpe reſurrectionis ſecura eſt, ac ſuo quodam modo lætatur. En hîc gaudium diffuſum per totum hominem ac omnes eius partes, & illud quidem ex ſpe reſurrectionis futuræ ac vitæ æternæ. Quod quidem cùm tantum ſit ſub ſpe & fide: quantum futurum eſt ſub aſpectu? Ex gaudio iſto ſub ſpe, tanquam arrhabone, quod etiam ineffabile dicitur, facilè coniectare poſſumus immenſum fore illud gaudium, quod poſt hanc vitam futurum eſt ex præſente Dei viſione in Chriſto Ieſu. Ita argumentatur Petrus: poſteaquam enim loquutus eſſet de laude, gloria & honore illo, qui erit quū patefiet Ieſus Chri-

Lætitia cordis & linguæ exultatio carni reſurrectionis futuræ ſtudium eximij. Ge. 49. 6. Pſal. 30. 13. 1. Petr. 1. 8. 1. Petr. 1. 7. 8.

ſtus, tum argumentum illius tantæ gloriæ ſubiecit ex fide ac amore noſtro in abſentem Chriſtum, & ex eo gaudio, quod vel ex fide in abſentem nunc concipimus, ineffabili ac glorioſo.

Reſurrectio capitis Eccleſia cauſa reſurrectionis membrorum.

Quia non es derelicturus. Petrus Act. 2. 25. & deinceps, totum hunc locum, inde à verſu 8. ad finem odes, de Chriſto propriè dictum interpretatur. Quem Dauid toto hoc loco, tanquam Propheta, loquutus eſt: quanquam non vt Propheta modò, ſed etiam vt typus Chriſti venturi. Nam & ipſe Dauid hæc omnia quæ ventura Chriſto prædicit, ipſe in ſeſe certo aliquo modo expertus eſt. Ergo quæ hîc dicuntur, de reſurrectione Chriſti, déque vita eius glorioſa, præcipuè intelligenda ſunt: id quod conuincit Petrus eodem loco, verſ. 29. & deinceps, vel ex iis verbis quibus dictum eſt, *Sanctum Domini non viſurum corruptionem.* Corruptionem intelligo, carnis ſepultæ putrefactionem, & reſolutionem in puluerem. Ex illis enim verbis aſſumit Petrus, Dauidem vidiſſe corruptionem. *obijt*, inquit, *& ſepultus eſt, & monumentum eius eſt apud nos in hunc vſque diem.* Quare de Dauide, inquit Petrus, iſta propriè dicta eſſe non poſſunt: ſed de Chriſto ipſius ſemine, quem Dauid in facta ſibi promiſſione venturum viderat.

Corruptio quid.

Vidit

Vidit tamen Dauid interea, in illa seminis sui Christi resurrectione, suam quoque ipsius resurrectionem, quæ futura erat virtute resurrectionis Christi, qui factus est primitiæ eorum qui obdormierunt. Sic & omnes nos quoque, cùm in Christum intuemur, cernere possumus, plenitudinem illam gratiæ quæ in ipso est in nos quasi redundare. Nominatim verò, si iam morti ac sepulchro proximi, si tum in eum intuiti fuerimus, sentiemus in eo ac in eius gloriosa resurrectione nostram ipsorum resurrectionem. Nam eos qui obdormierunt in Iesu. Dominus simul cum eo adducet. 1. Cor. 15. 20. 1. Thess. 4. 14.

Fundamentum huius resurrectionis.

Notandum postremò, quod dicit, *Deum non permissurum eum quem benignitate prosequitur videre corruptionẽ.* Hac sui descriptione ac periphrasi ostendit fundamentum resurrectionis gloriosæ tum Christi tum piorum omniũ in Christo: nempe paternum illum Dei amorem, quo tum Christum tum pios omnes prosequitur, etsi lato discrimine. Nam nos diligit in illo suo dilecto. Ex hoc resurrectionis nostræ fundamento, non obscurum est discrimen inter piorum ac impiorum resurrectionem futuram. Amor Dei in Christo pios è sepulchro molliter excitaturus est. At verò ira & iustitia Dei iudicis impios, vel in- Ephes. 1. 6.

uitos, ſepulchris ſuis extractura eſt ad æternum & iuſtum ſupplicium in die illo nouiſſimo.

Facturus eſt. hoc alterum eſt beneficium quod poſt hanc vitam conſequuturus eſt, nempe vita illa æterna, ad quam poſt reſurrectionem rectà iturus eſt: quaſi dicat, poſteaquam expergefactus fuero, & è ſepulchro excitatus, facturus eſt vt cognoſcam illam ſemitam quæ ducit ad vitam æternam, & cognitam ingrediar. His igitur verbis ſignificat viam ad vitam & cœlos demonſtrandam ipſi, poſteaquam è ſepulchro excitatus fuerit. Sequentibus autem notat ipſam vitam quam poſtquam emenſus fuerit ſemitam illam quæ ducit ad vitam ac cælos conſequetur.

Vita æterna delineatio. *Satietatem gaudiorum.* vitam illam primùm exprimit per gaudium, & gaudij ſatietatem: deinde per amœnitatem. Principium ac fontem gaudij conſtituit Dei faciem. Cauſam amœnitatis facit Dei dexteram, vtrunque & gaudium, & amœnitatem circumſcribit temporis æternitate.

Ad hanc vitam nos adducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre & ſpiritu Sancto ſit omnis honor & gloria, Amen.

PSAL



PSALMVS XXIII.

Argumentum.

Pſalmus eſt didaſcalicus, in quo Dauid gloriãdo exponit,fiduciam & ſecuritatem ſuam. Exiſtit autem ſecuritas,quæ eſt in omne tempus futurum, ex fiducia præſentique perceptione miſericordiæ erga ipſum diuinæ, & curæ tanquam paſtoralis.

Duo proponuntur igitur in hoc Pſalmo: *Primum*, eſt fiducia & apprehenſio præſentis Dei benignitatis: *Secundum*, eſt ex fiducia ſecuritas impoſterum, quòd Deus ipſum in omnem poſteritaté, proſequuturus ſit eadem benignitate. Vtrunque hoc proponitur ſtatim primo verſu. Deinde exponitur verſibus ſequẽtibus: Fiducia quidem ad ver. vſque 6. Securitas verò verſ. 6.

1 Pſalmus Dauidis: *Iehoua paſtor meus eſt: non poſſum egere.*

2 *In caulis herbidis facit vt recubem, ſecundùm aquas lenes deducit me.*

3 *Animam meam quietam efficit, ducit me per orbitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum.*

4 *Etiam ſi ambularem per vallem lethalis vmbræ, non timerem malum, quia tu mecum es: virga tua, & pedũ tuũ, ipſa conſolantur me.*

5 *Inſtruis coram me menſam, è regione hoſtium meorum: delibutum reddis vnguento caput meum, poculum meum exuberans.*

6 *Vtique bonum & benignitas proſequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & quietus*

ero in domo Iehouæ, quandiu longa erunt tempora.

Propositio, cuius pars prima Dei benignitatem erga suos graphicè depingit.


EHOVA *pastor.* Propositio est per gloriationem primùm fiduciæ & quasi pastoralis curæ erga se diuinæ: Deinde securitatis in posterum. In prima parte propositionis curam Dei exprimit verbis sumptis à pastore & grege, Deum cum pastore, se autem cum oue comparans. *Iehoua*, inquit, *pastor meus est:* id est, vt pastor ouem, ita Iehoua me pascit. *Non possum egere.* Altera pars propositionis qua proponitur securitas imposterum. Colligitur autem securitas imposterum, ac infertur ex præsenti fiducia & curæ erga se diuinæ apprehensione, quasi dicat, Deus me in præsens pascit, curátque omnibus modis: Ergo nunquam defuturus est mihi imposterum: neque futurum est, vt ego vnquam imposterum re vlla indigeam. Similis gloriatio est Pauli: Deus nobiscum est, quis contra nos? hactenus igitur fuit propositio per gloriationem, ex qua videmus fiduciam in Deũ præsentem (Nam fiducia est rei præsentis apprehensio) efficere securitatem, qua quis in omnem posteritatem pollicetur sibi Deum fore præsentem. Non est vlla res alia, si Deum excipias, quę præsentia sui nos ita securos potest reddere loquor de vera

Altera pars prop. securitatē piorum ostendit.

Rom. 8, 30.

illa

illa ac spirituali securitate: possunt enim, *Carnalis securitas.* fateor, res huius mundi caducæ gignere in animis hominum securitatem quandam, (quam vocant) carnalem, qualis fuit illa diuitis illius, qui posteaquam amplificata & impleta essent ipsius horrea, dixit animæ suæ, *O anima mea, quiesce, ede, bibe, oblectare. Nam habes quæ satis tibi futura* Luc. 12.
sunt in multos annos. Sed quid tum audiuit 19.
ex Deo? *Stulte*, inquit, *auferent animam tuam à te hac ipsa nocte.* Quid autem consequatur ex carnali ista securitate ostendit Paulus, *Cùm dicent pax, & tuta omnia: tum* 1.Thess.5.
repentinum iis imminebit exitium, Vt dolor 3.
mulieri parturienti, nec effugient. fallax igitur est securitas ista carnalis, at nunquam fallet nos securitas spiritualis, neque vnquam satis ex securitate spirituali gloriari possumus, neque vnquam satis magna de Deo, eiusque benignitate in omnem posteritatem, ex securitate illa spirituali, nobis possumus promittere.

In caulis. Primùm partem propositionis explicat, verbis primùm allegoricis ad vers. vsque 5. Deinde propriis, vers. 5. Vt igitur doceat Iehouam esse pastorem suum, inductionem facit partium officij boni Pastoris. Partes autem officij Pastoris enumerantur quinque, quarum duæ primæ, ad corpus ouis pertinent, tertia ad *Explicatio primæ partis propositionis qua agitur de pastoris officio.*

animam, quarta & quinta ad vias quibus incedit. Prima igitur pars officij boni Pastoris est his verbis, *In caulis herbidis*: quibus duo comprehensa sunt, quę ad corpus ouis pertinent. Primum officium est, quòd in caulis herbidis faciat vt saturetur. Secũdum est, quòd iam saturata oue faciat *Vt recubet*, hoc est, fruatur mollissima quiete. Nam in hoc posteriori, prius illud intelligendum est: non enim nisi iam saturata recumbit ouis. Dauid hanc partem officij pastoris ad se accommodat: quasi dicat, Non secus atque pastor facit vt in caulis herbidis ouis primùm se saturet: deinde recubet: non secus (inquam) Deus reficit cibo ac quiete suauissima corpus meum.

Pastoralis officij partes quinque.

1. *Alimentum.*

2. *Refrigerium.*

Secundùm aquas. Secunda pars officij Pastoris etiam ad corpus ouis pertinens. Cernitur autem in eo, quòd curet Pastor restingui sitim ouis & potus, ac refrigerij cõmoditatem exhibeat. Similiter, inquit Dauid, Iehoua restinguit sitim meam, & corpus meùm refrigerat.

Vsus doctrinæ quę in duabus prioribus pastoralis officij partibus continetur.

Hactenus igitur prædicauit Dei curam quasi Pastoralem in corpus suum. Disce igitur quæ sit Deo cura corporis nostri. Nemo enim est piorum omnium quem cibo & potu non saturet, saturitatem autem hanc non definitam ventre saturo quàm corde, vel rebus mediocribus

bus contento. *Magnus est quæstus pietas cum animo sua sorte contento:* quo dicto significat Apostolus hæc duo coniuncta esse, pietatem & αὐταρκείαν, siue contentum sua sorte animum. Quisquis igitur pius est, mediocribus est contentus, vno ieiuno ventre sæpe contentus est. *Didici*, inquit, Apostolus, *iis in quibus sum contentus esse initiatus, sum ad omnia, ad abundantiam, ad inopiam, ad saturitatem, ad esuritionem, animo valeo per Christum, qui corroborat me.* Ergo in quo Christus habitat per fidem is habet αὐταρκείαν, & animum qui contentus est non modò rebus paruis, sed planè nullis. Qui autem non habet Christum, non habet αὐταρκείαν, & animum vel rebus maximis contentum. Quò enim plus possident impij, eò plus appetunt. Non est hîc prætereundum silentio, quo animo prædicet Dauid hanc Dei liberalitatem in nutriendo suo corpore. Pius enim quisque de Dei liberalitate non potest conticescere, & pluris vulgarem ac mediocrem aliquam alimoniam à Deo acceptam, quàm impius aliquis facit lautissima fercula: fit enim, nescio quo modo, vt dũ edit pius, aut bibit, ad Dei sui gloriam totum id faciat: & dum inter edendum & bibendum terrena ista esurit ac sitit, cælestia illa ac spiri-

Philip. 4. 11. 12. *Animus piorum sorte sua contentus est.*

Dei liberalitatem degustat & prædicat.

tualia deguſtat: fit inquam, vt interea animus ipſius comedat, ac imbibat gratiam eam, quæ mira quadam ſuauitate, corporalem cibum etiam vulgarem condire ſolet: ita vt meliùs ſapiat palato pij hominis vulgaris aliquis cibus, quàm lautiſſimus alioqui ſapit palato impij hominis.

Paſtoralis officij tertia pars.

Animam meam. Tertia pars officij Paſtoris eſt, quæ reſpicit ouiculæ animam. Eſt enim beſtia naturâ timida, & re quacunque leuiſſima turbari ſolet, & inquietari animo. Officium igitur boni Paſtoris eſt, non tantùm rationem habere corporis, ſed etiam animæ ouis ſuæ, vt ſecuram eam reddat ac quietam. Similiter, ait Dauid, facit Deus, vt ego quieto ſim ac ſedato animo. Quorſum enim attinet habere corpus bene curatum, dum intereà negligitur anima, hominis pars melior, & cui ſi non ſit bene? profectò corpori bene eſſe tunc non poteſt: quam enim voluptatem poteſt corpus capere ex cibo, potu & reliquis id genus, cùm animus eſt in metu aliquo grauiori, præſertim cùm cruciatur horroribus illis inferorum? Dauid igitur dicit animam ſuam curæ eſſe Deo, & ab ipſo quietam reddi: Eandem Dei curam ſentit pius quiſque & percipit animi quietem illam, ac pacẽ, quæ ſuperat omnem intellectum.

Conſeruatio.

Animæ vera vita & pax, quid.

Dico

Dico pacẽ Dei, nõ pacẽ mũdi. Nã pax ista mũdi & carnalis securitas quæ hominibus obrepit, in Dei beneficiis nõ est numerãda, sed è cõtrà in Dei maledictionibus. loquor igitur de pace illa Dei quæ existit maximè ex bona cõsciẽtia, hoc est conscientia remissionis peccatorũ. Nã simul atq; nos iustificat Deus, animi nostri incipiũt conquiescere, & pace Dei muniri tãquã præsidio quodã. Ita enim de hac pace loquitur Apostolus, *& pax Dei*, inquit, *quæ superat omnem intellectum, præsidio erit cordibus vestris.* Sed vide, quãti faciat hãc pacẽ Dauid & quomodo eã prædicet: pius enim quisque non potest pacẽ hanc animi apud animum continere, quin prædicet eã ad Dei in Christo gloriã: prædicat quoq; pacẽ suã impius: *pax* (inquit) *& tuta omnia.* Sed interea de Deo nullũ verbũ. At pius quisq; inter gloriãdũ pacẽ suã ac trãquillitatem Deo totã adscribit: quod dũ audit impius, non intelligit de pace gloriante in Domino, pax enim est quæ superat omnem intellectum hominis ψυχικοῦ & animalis. Philip. 4. 7. 1. Thess. 5. 3.

4 *Ducit me per orbitas.* Quarta pars officij boni Pastoris, quæ pertinet ad vias quibus incedit ouis. Est enim ouis, animal naturâ vagum, (qua est simplicitate) obnoxium erroribus, ideo boni Pastoris est videre ne aberret à via plana & recta. Simi- *Pastoralis officij quarta pars. Itineris cura.*

liter ait Dauid, ducit me Iehoua *per orbitas*
5. *Reuocatio in viam rectam.* *iustitiæ*, hoc est, orbitas rectas. *Etiamsi ambularem*, hæc quinta pars est officij boni Pastoris: quòd si contingat aberrare à via, & periculis sese exponere ouem, habeat in promptu virgam, qua reuocet, & pedum quo retrahat ipsam. Sic Dauid reuocatum se, atque retractum, quasi virga & pedo Spiritus Sancti, à Deo suo, tanquam fideli Pastore, profitetur. Eodem modo attendit Deus ad vias & actiones quascunque cuiusque pij, ipsum diligit, non tantùm generali illa prouidentia, qua omnes homines sine discrimine per ipsum viuunt, sunt, ac mouentur: verùm multò magis speciali illa sua prouidentia, qua regit eos Spiritu suo Sancto, quo, quasi, manu ducuntur in omnibus viis suis, & si aliquando contingat vt à via deflectāt, ab eodem illo Spiritu in viā reducuntur. Hác Dei prouidentiam ac præsentiam vides quantopere prædicet Dauid: idem faciunt pij omnes, dum sentiunt sine Deo nihil se facere, & dum experiuntur, tū quo modo metam apprehendant, sese à Deo apprehendi, ducíque ad illam ipsam metam: dum sentiunt etiam Deum sibi præsentem in viis quibusque periculosissimis, per quas ipsis ad cælos necessariò eundum sit. Neque enim in vlla re agenda solidum

Thesis ex hypothesi extracta.

lidum est gaudium, nisi sentiamus directorem & motorem Dei Spiritum.

Notandum verò hoc loco est, nulla pericula, nullas afflictiones, non mortem quidem ipsam nos à Deo separare. Ait enim: *Etiamsi ambularem per vallem lethalis vmbræ, non timerem, quia tu mecum es.* Putant vulgò Deum abesse ab eo homine qui ad extremum aliquod discrimen adducitur, qui in media morte versatur. Non enim vident, quomodo ista cum Dei prouidentia possint cõsistere: quasi verò non possit Deus nos liberare nisi ex temporariis istis periculis, vel non possit nos sustinere, nisi corpus hoc, & vitam præsentem sustineat. In periculis autem & ipsa morte signum præsentiæ diuinæ certissimum est, quòd pij vacui sint à metu, & præsenti ac confidenti sint animo. Ideo enim dicit, *Non timerem malum, quia tu mecum es.* Vides igitur, vt in summa dicamus, quàm specialis sit Dei cura erga suos. Nam cùm in homine tria considerentur, corpus, anima, actiones, Deus ex his nullum destituit suâ præsentiâ, corpori ministrat alimoniam, & regimen, animum tranquillat, actiones vitæ dirigit. Neque verò tantùm hanc curam habet suorum specialem: sed, quod ego semper numeraui inter præcipua Dei beneficia, eos per-

Fiducia certa piorum.

Corruptũ mundi iudicium.

Dei ergà suos specialis prouidentia.

petuò afficit sensu aliquo prouidentiæ & curæ erga ipsos suæ, adeò vt singulas diuinæ prouidentiæ species possint prædicare, & Deo in solidum omnem earum gloriam tribuere.

Allegoriæ de officio pastoris explicatio, dulcissima similitudine proposita, cuius tres partes constituit.

Instruis coram me. Verbis propriis: allegoriam proximam ab officio boni Pastoris sumptam explicat, comprehenditque vniuersam illam Dei curam erga ipsum, his tribus quasi partibus. *Prima* est, quòd instruit mensam coram ipso. *Secunda*, quòd delibutum reddat vnguento caput ipsius. *Tertia*, quòd exuberans reddat poculum ipsius. Prima & tertia pars ad necessariam alimoniam pertinent. Secunda ad ornatum, nam oleo, & vnguentis ferè delibuti erant veteres elegantiæ & venustatis, non necessitatis causa. Quamobrem qui in luctu erant ab vnguētis abstinebant. In prima parte obseruandum quod dicit, *Instruis* coram me mensam è regione hostium meorum: quo significat se, inuitis hostibus, à Deo ali, atque nutriri, quò & accedat ipsi maior honor, & hostium sit confusio, dum, ipsis inspectantibus, ita honoraretur à Deo. Deinde notandum in tertia parte, quòd dicit Deum *reddere poculum suum exuberans.* significat enim rerum necessariarum ad vitam, vt potus, vbertatem & copiā. Vide igitur

2. Sam. 12.20. Matth. 6. 17. 2. Sam. 13 3.

quæ

quæ ſit erga ſuos Dei cura, & quàm liberaliter cum ijs agat. Impertit ijs non tantũ quæ ad neceſſitatem ſpectant, ſed quæ ad ornamentum: rurſus quæ ad neceſſitatem ſpectant non miniſtrat parcè, ſed copiosè, ac largiter. Atqui hæc omnia facit eorum cauſa inſpectantibus & inuitis ipſorum aduerſariis: quò & maior ad ipſos perueniat gloria, & hoſtiũ ſit maior confuſio, dũ vident eos à Deo honorari quos ipſi perditum cupiebant. Ita Deus omnibus modis honorat eos, qui ipſum honorant.

Vtique bonum, & benignitas. Secundæ partis propoſitionis, hoc eſt ſecuritatis in futurum tempus explicatio: ex ſecuritate enim gloriatur, promittítque ſibi tum omnia bona in hac vita, tum regnum æternum in altera. In hanc ſecuritatem obſeruatũ eſt ſuprà verſu primo: nunc tantùm hoc addo: & cauſam quæro, vnde fiat vt tam ſecurè ex præſenti fauoris diuini ſenſu, ſic glorietur aliquis, polliceatúrq; ſibi tá certò ferè vt nunquã de illo fauore deſtituatur inpoſterum? In cauſa eſt, non aliquid in nobis, non amor ille quo nos Deum proſequimur: nihil enim in nobis eſt, quod nos poſſit ſecuros reddere, quæ eſt noſtra per naturam inconſtantia: ſed in cauſa eſt, gratuitus ille Dei fauor, qui quem ſemel cœpit diligere, in illo dilecto ſuo, eum di-

Securitas & gloriatio piorum in Christo recumbit.

Confirmatio ab exemplo & testimonio Apostoli Rom. 8.

ligit in sempiternum. Paulus securè gloriatur non quidem ex conscientia illius amoris quo ipse Deum prosequutus est, verùm ex conscientia amoris quo ipsum Deus in Christo sit amplexus. *Quis nos*, inquit, *separabit à charitate Dei?* hoc enim est illud fundamentum omnis illius gloriationis ac securitatis, Dei erga nos dilectio, à qua nulla planè vi auelli possumus. Deo igitur in Christo sit omnis nostrę securitatis gloria, Amen.



PSALMVS XXXII.

Argumentum.

Oden esse didascalicam, & à Dauide conscriptã, patet ex inscriptione. Agitur in ea de beatitudine humana continetq; felicitatis doctrinam. *Primùm* igitur proponitur generalis doctrina ad vers. 8. *Deinde*, generalis doctrinæ applicatio, ad versum vltimum. *Postremò*, cõclusio exhortatoria versu vltimo.

1 Dauidis ode didascalica. *Beatus leuatus à defectione, cuius tectum est peccatum.*

2 *Beatus homo cui non imputat Iehoua iniquitatem, & cuius Spiritui non inest dolus.*

3 *Cùm silerem, inueterascebant ossa mea: in rugitu meo toto die.*

4 *Nam interdiu & noctu grauis erat super me manus tua: conuertebatur præstantißimus humor*

humor meus in ſiccitates æſtiuas. Sela.

5 *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam,* (inquiebam) *confitebor defectiones meas Iehouæ: & tu ſuſtuliſti pœnam peccati mei.* Sela.

6 *Propter hoc oraturus eſt te, quemcunque benignitate proſequeris, quo tempore obuenerit (in inundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent tantùm)* dicens,

7 *Tu latibulum es mihi, ab anguſtia cuſtodito me: cautionibus liberationis circumdato me.* Sela.

Beatus leuatus. In generali doctrina, *Primùm* occurrit, Propoſitio beatitatis humanæ: *Deinde* confirmatio propoſitionis, ab experientia: *Poſtremò*, effectum experientiæ illius miſericordiæ diuinæ erga Dauidem, in aliis fidelibus. Vt igitur de propoſitione dicamus: Dauid primùm torquetur conſcientiâ peccati, & propter peccatum iræ diuinę ſenſu. Deinde fiduciâ remiſſionis peccati ſui tranquillatur animus ipſius. Igitur poſt cruciatum illum, & horrores mortis, remiſſionis peccatorum conſcientiâ, tranquillato iam animo, beatus ſibi videtur: quantum boni ſit in remiſſione peccatorum, ſemel atque iterum prædicat, in hac ode didaſcalica, eóque euadit Doctor eximius beatitudinis humanæ. Tenetur enim quiſque, po-

1. Propoſitio ſummi boni, ſeu felicitatis noſtræ coram Deo.

Doctor eximius,

quicunque summum bonum verè docet. steaquā ipse sensit primùm miseriá suam, deinde gratuitam liberationem in Christo, pro vocatione sua, tradere aliis quasi doctrinam miseriæ & beatitudinis humanæ. Dauid igitur nunc euadit talis, verámque ac solidam felicitatem positam esse docet, non in diuitiis huius mundi, non in honore & gloria, non in voluptatibus, non in operibus aut meritis humanis, sed in sola Dei gratia, ac gratuita in Christo peccatorum remissione. Illi autem quos assumit sibi docendos, sunt homines miseri, miseri (inquam) vel ob conscientiam peccati & mortis: vel certè ob securitatem illam carnalem, qua ita consopiti sunt plerique, vt neque peccati, neque miseriæ sensu afficiantur: quæ profectò conditio longè periculosissima est. Hi sunt igitur quos docet veram illam beatitatẽ, ac quibus viua voce demonstrat quasi digito, vnicam illam causam, quæ pacat & beat conscientias miserorum hominum, nempe gratuitam in Christo peccati remissionem.

Discipuli veræ doctrinæ de summo bono.

Variæ phrases de remissione peccatorum. Tria autem sunt, duobus primis versibus loquendi genera, de peccatorum remissione, quæ tamen omnia in idem cadunt. Primum est, *Beatus*, inquit, *leuatus*. *Prima.* Dauid sentiẽs primùm oppressum se peccati quasi onere: Deinde se illo onere leuatum

tutum Dei misericordiâ, & tranquillatam iam sibi conscientiam, respirans quasi exclamat ac prædicat beatum illum, quisquis leuatus est onere defectionis suæ. Quòd autem nos in nobis ipsi non experiamur istiusmodi beatitatem, neque eam cum Dauide prædicare possimus, in causa est securitas ista quæ fit vel vt nõ sẽtiatur omnino peccatũ, vel si sentiatur, reputetur res aliqua exigui momenti. Quòd si profectò excuteretur nobis hic veternus, & sensus esset aliquis peccati, simul & iræ Dei, peccatum promentis, & efficientis vt intolerabile videatur peccati onus, quale Dauidi videtur, quum dicit ac queritur iniquitatum suarum onus graue, eásque grauiores esse quàm vt perferre queat: nimirum sensit cum iniquitatibus suis coniunctam Dei iram, ex qua est illud tantum peccati pondus: Quod si igitur sentiremus illud peccati onus cum Dei ira incumbente, tum profectò seriò agnosceremus beatum illum hominem qui leuatus esset defectione sua.

Cur beatitatem verã in nobis sentiamus.

Psal. 38.

Cuius tectum est. Secundus modus sequitur, quo offert remissionem peccatorum: *Beatus* (inquit) *cuius tectum est peccatum.* Dauid, cùm sensisset pecatum suum, & totam hanc naturæ deformitatem, irati Dei oculis obiectam: deinde,

Altera phrasis de remissione peccatorum.

sensisset etiam peccatum illud suum tectum obedientia ac iustitia Christi: tranquillato iam ac sedato animo, pronuntiauit beatum illum cuius tectum esset peccatum. Quòd autem nos beatitatem hanc in nobis ipsi non experiamur, aut beatum illum cuius tectum est peccatum, in causa est idem iste stupor naturæ nostræ & securitatis carnalis, quo adeò excæcamur, vt neque peccatum nostrum, neque iratam Dei faciem de cœlo nos intuentem videamus: propter quam rursus cæcitatem eò impudentiæ sæpenumero venimus, vt non contenti illos Dei oculos in occulto offendere, etiam in publicum prodeamus, ac in conspectu Dei, coram Sole & Luna, toto mundo quasi inspectante, nunc homicidia, nunc adulteria, nunc furta & rapinas, & alia id genus fœdissima perpetremus: atque irritemus, vt loquitur Esaias, oculos illos gloriæ Dei, quemadmodum de Zimri illo legimus homine impudentissimo, qui cum scorto suo impurissimo, Midianitide, in conspectum Dei, in conspectum Moysis, in conspectum totius populi, etiam in publico omnium luctu prodiit, & fœditatem suam prodidit: quare zelo Dei percitus Phinees, arrepto spiculo vtrumque transfixit. Quòd si profectò essent apud nos tali zelo Magistra-

Cur tectum in nos peccatū esse non experimur.

Esai.3.8. Num. 25.6.&c.

Piorum inter mūdi furores

tus,

tus, non impunè ferrent homines ſceleratiſſimi, tot homicidia, tot adulteria, denique tot omnis generis nefanda facinora. Hoc tamen eſt quod interea nos conſoletur quòd idem maneat Deus, & ſui ſemper ſimilis, qui pro iuſtitia ſua non poteſt in ſempiternum pati, vt iſta impunè ferant homines perditiſſimi. Hæc igitur eſt quam diximus ex ſecuritate noſtra cæcitas, & ex cæcitate rurſus mira impudentia. At verò ſi tandem aliquando excitaremur ex hoc veterno, conſpiceremúſque peccata noſtra, ſimul & iratum Dei vultum de cœlo nos conſpicientem, & æſtu ſuo animos noſtros quaſi adurentem, (iratus enim Dei vultus non ſecus incendit impuros hominum animos quàm ignis materiam incendio aptam, vt ſtipulam, vt lignum, vt fœnum: iuxta illud Prophetæ, *diſponis eos, vt fornacem ignis tempore faciei iratæ tuæ*, tum illud apertiùs exponens, ſubiungit, *Iehoua, irâ ſuâ abſorbet eos, quaſi conſumat eos ignis.*) Quòd ſi inquam, iſtarum rerum aliquis eſſet ſenſus, tunc cum Dauide beatum eum prædicaremus cuius ita tectum ſit peccatum, vt ab irato Deo non conſpiciatur.

& horrendos lapſus, conſolatio.

Pſal. 21. 20.

Beatus homo cui non imputat Iehoua iniquitatem. Tertius modus eſt quo expreſſit nobis peccatorum remiſſionem. Sen-

Tertia phraſis, de remiſſione peccatorũ.

ſit procúldubio, primùm erecto quaſi in animâ ſua tribunali,& accuſante conſcientia, imputari ſibi peccatum ſuum à Deo iudice. Deinde ſubmoto ex animo ſuo, toto hoc iudicio per Chriſtum, non imputari ſibi peccatum ſuũ. Hinc recreatus exclamat, ac prædicat beatum illum cui Deus non imputat peccatum. Quòd ſi nos ſic erecto in animis noſtris tribunali, Deum primum in iudicio ſedente videremus ſentiremúſque accuſante conſcientia, à Deo iudice peccatum imputari, profectò nos cum Dauide beatum diceremus eum hominem cui Deus non imputat peccatũ. Sed ea eſt ſocordia noſtra, vt quamuis alioqui ſimus peccatores, non tamẽ niſi difficillimè attingatur peccati aliquo ſenſu: etiam tum cùm ira Dei nos exercet, non niſi ægrè admodùm ad peccati agnitionem pertrahamur.

Socordia noſtra eſſe ctũ & ſenſu ſummi boni in animis noſtris corrũpit.

Ex hoc poſtremo modo quo effert Dauid remiſſionem peccatorũ, & ex Dauidis ipſius exemplo diſcimus, primùm, quæ ſit conſtitutio animi peccatoris qui ſeriò tangitur peccati ſui conſcientiâ, eóque ad gratiam præparatur. Sentit in animo ſuo tribunal erigi, & in eo ſedere Deum ipſum iudicem: deinde conſciẽtiam accuſare peccati, & Deum iudicem peccatũ imputare, eiúſque fœditatem terribili quaſi oculo intueri. Hinc ſequitur ſenſus peccati ſerius, & pon-

Conſciẽtia hominis peccatoris, gratiamque à Deo impetrantis, anatomia.

& pondus non ferendum, peccati inquam quod paulò antè videbatur nullius ponderis & momenti. Inde rursus existunt horrores & terrores inferorum, qui si perdurarent diutius, hominem adigerent ad desperationem. Habemus rursus in exemplo Dauidis constitutionem animi peccatoris, postea quàm iam peccata sunt remissa: sentit apud se totum illud iudicium cessare, conscientiam tanquam testem non accusare amplius peccati, neque peccatum à Deo iudice imputari: sentit etiam quicquid peccati reliquum est in natura corrupta, illud totum Christi iustitia & perfecta obedientia ita tegi, vt non amplius feratur in illud iratus Dei aspectus: sentit denique peccatum suum iam non imputatum, & ita (vt dixi) tectũ non amplius sibi oneri, & quidem cùm leuatur aliquis peccati onere, leue sibi videtur peccatum, nõ propter securitatẽ illã carnalem, verùm, propter Dei in Christo misericordiã, factũ est leue & parui ponderis. Ex his sequitur pax incredibilis & tranquillitas conscientiæ, quæ nihil aliud est quàm ista beatitas, quã prædicat Dauid. Nã cùm eam semel penitus animo sensit, non continet eam apud animum suum: verùm apud alios cogitur de ea verba facere: vt, si possit fieri, etiam

alij miseri (quales naturâ sumus omnes) eius sensu & suauitate aliquo certè modo afficiantur, atque ita euadant beati.

Locus, de iustificatione hominis peccatoris coram Deo.
Rom. 4.

Discimus præterea ex verbis Dauidis, id quod etiá Paulus ex Dauidis ista beatitatis prędicatione colligit, nempe, beatum hominem, cui Deus imputat iustitiam absque operibus: id est, iustificari hominem non in hærente aliqua iustitia, quæ est ex ipsius operibus, sed iustitia duntaxat imputata. Nam si iustificatio & beatificatio est per remissionem peccatorum, necessariò sequitur iustificationem esse per iustitiam, non quidem inhærentem, sed imputatam. Remissio enim, peccati est etiam inhærentis: in hærente autem peccato, non est iustitia inhærens illa, sed imputata. Necessaria ista consecutio imputatæ iustitiæ ex peccatorum remissione, effecit vt Paulus, eo loco Dauidem loquutum expressè de peccati remissione, interpretatus sit, ita ac si loquutus fuisset de iustitia imputata. Sed hæc res aliquo exemplo forensi, & è medio petito, manifestior euadet.

Confirmatio ab exemplo forensi petita.

Non enim aliter in hoc iustificationis negotio res se habet, quàm si Rex aliquis reo cuipiam, vt pote homicidæ iam condemnato ob peccatum suum, ex gratia peccatum remittat: is autem peccato remisso dicetur iustificatus. At, qua iustitia?

profectò

profectò non illa inhærente: Nam in se homicida est reipsa. Qua igitur? profectò non alia quàm ea, quæ est à Rege gratis imputata, qua nimirum censet eum Rex iustum, qui in se non est iustus. Eadem est omnino iustificationis nostræ ratio coram tribunali Dei iudicis. Non sumus quidem nos ex operibus nostris iusti, sed iniusti. Neque Deus ex operibus iustos nos pronuntiat: sed Dei iustificatio, hoc est iusti pronuntiatio, est qua pronuntiat iniustũ, iustũ, ex sola ipsius in Christo misericordia.

Quo autem tota res hæc clariùs elucescat, sciendum est dici posse hominem corã Deo iustificari trib. in vniuersum modis 1. ex operibus legis. 2. ex pœna legis violatæ. 3. ex remissione peccatorum, siue peccatorum non imputatione. Nã hæc idẽ sunt. *Triplex modus iustificationis coram Deo.*

Quòd ad primum illum iustificandi modum, qui est per opera legis, post Adami & nostrûm omnium in Adamo lapsum, nemo vnquam ex operibus legis iustificatus est, excepto vno Christo homine. Quũ enim lex, ex duobus alterum requirat, vel vt faciamus, vel vt moriamur, faciendi quod lex iubet facultas omnis in Adamo deperdita est. *1. Per opera legis.*

Quòd ad secundum illum iustificandi modum, Christus solus eo modo, idque nostra causa iustificatus est. Ad nos enim pertinebat illa execratio, in lege *2. Per supplicia ob transgressionem.*

denuntiata,& nobis fuit iustitiæ diuinæ æterna nostra morte satisfaciendum: verũ Christus sua,ac Patris sui misericordia, medius interuenit, ac in se peccatũ nostrũ, simul ac pœnam peccato debitã trãstulit.

3. Per remissionem peccatorũ, siue peccatorum non imputationem.

Tertius iustificãdi modus, qui est per gratuitã peccatorũ remissioné, solus reliquus est nobis, quotquot volumus corã Deo iustificari,& seruari, quo nimirum credentes Christũ legi pro nobis satisfecisse, & passum esse nostra vice illã legis execrationé, gratis accipimus remissioné peccatorum omnium, ac accepta remissione iusti censemur in illa Christi iustitia & satisfactione, fide apprehensa.

Modorum istorum discrimen.

Ex his tribus iustificãdi modis,duo priores in hoc differũt à tertio, quòd, cùm in duobus prioribus causa sentẽtiæ iustificationis in iustificato sit, in hoc tertio iustificationis modo, sẽtẽtiæ iustificationis causa est extra iustificatũ.v.g.in primo illo iustificationis modo causa est in operibus iustificati. Sic iustificatus fuisset Adam, si stetisset in obedientia Dei: sic iustificatus fuit Christus nostra causa, operibus suis iustis, & dilectione Dei ac proximi, vndequáque perfecta. In secundo iustificationis modo, qui est per pœnam: pœna ipsa, quam perpetitur iustificatus, subiectum & causa est cur iustificetur à Deo,

Sic solus Christus iustificatus est nostra causa, & factus est pro nobis legis execratio, legíque morte sua plenè satisfecit. In tertio denique iustificationis modo, causa est illa ipsa Christi satisfactio quæ est extra nos in ipso Christo, tanquam in subiecto, nostra tamé facta aliquo modo, nempe per fidem. Sic igitur tertio hoc pacto iustificantur fideles omnes per causam iustificationis, nempe Christi satisfactionem, quæ est extra ipsos.

De certa iustificatione hominis peccatoris coram Deo loquitur Propheta.

Istius iustificationis ordo.

Dauid igitur, vt ad eum redeamus, de iustificatione loquitur non prima, non secunda, sed tertia: atque hominis iustificationem, & beatitatem, non operibus ipsius hominis, non supplicio, iuxta legis comminationem de ipso homine sumpto, verùm gratuitæ duntaxat peccatorum remissioni tribuit. Qui iustificationis modus hoc ordine perficitur. Primò, homo peccator vocatus à Deo, credit in Iesum Christum: ad cuius etiam sacrificium, persequente ipsum ira Dei, cogitur aliquo modo confugere, tanquam ad asylum quoddam. Apprehenso itaque illo sacrificio, iam Dei ira pacatur: pacata ira, locus est gratiæ ac misericordiæ, idéoque, ex gratia remittit illi peccatum simul: & iustitiam illam ac satisfactionem Christi, quam fide priùs apprehendit, peccatori

imputat. Atque in his duobus eſt poſita illa iuſtificationis ſententia, cuius cauſam videmus extra ipſum hominem, Chriſti ſatisfactionem: niſi hactenus dicas in ipſo homine eſſe, quatenùs fide apprehenditur. Atque hæc iuſtificandi ratio non minus efficax eſt, adeóque magis efficax eſt, & plena, quàm ſi ex cauſa aliqua, quæ in nobis ipſis ſit, vt operibus noſtris, iuſtificaret nos Deus. Non minor eſt enim pax & tranquillitas conſcientiæ, non minor lætitia ex iuſtificatione per fidem Chriſti, & per eius ſatisfactionem, quàm ſi per noſtra ipſorum opera iuſtificaremur. Iuſtificati, inquit Apoſtolus, per fidem, pacem habemus erga Deum. deinde, paulò poſt, gloriamur, inquit, ſub ſpe. Ipſe etiam Apoſtolus in hac iuſtificatione Dei per fidem, ſecurè gloriatur aduerſus eum qui velit crimen intentare quiſquis is ſit: Imò experientia iam inde à principio docuit firmiorem eſſe hanc iuſtificandi rationem, quàm ſit illa quæ eſt per opera, & cauſam in nobis inhærentem. Nam cùm illa iuſtitia inhærens primùm Angelorum deinde hominum, amiſſa ſit, iuſtitia hæc Chriſti, vera fide apprehenſa, nunquam amittetur. In qua profectò ſola, (vt huic diſputationi finem imponamus,) qui non conquieſcit, nulla illi pars eſt in hac beati-

Eiuſdem efficacia.

Rom. 5. 1.

Rom. 8. 33.

beatitate, quam prædicat Dauid in remiſſione peccatorum poſitam.

In cuius ſpiritu non ineſt dolus. Hactenus beatum prædicauit ex peccatorum remiſſione, nunc beatum etiam prædicat ex ſanctificatione, præſertim ſimplicitate cordis ac ſinceritate, quod eſt remiſſionis peccatorum effectū: quaſi dicat, beatum eum prædico, cui condonata ſunt peccata, ita támen vt non ſeparem à remiſſione peccatorū, & iuſtificatione, ſanctificationem. Sic Paulus, poſtquam prædicauit nullam eſſe condemnationem ei qui eſt in Chriſto Ieſu, ſubiecit continuò, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum incedit. Dauid igitur cum remiſſione peccatorum coniunxit ſanctificationem: beatitudo enim ſiue felicitas hominis nihil aliud eſt quàm ſtatus ipſius beatus, in Chriſto Ieſu, éſtque effectum omnium ſpiritualium benedictionū in Chriſto Ieſu, earum nimirū quæ enumerantur Rom.8.29. & deinceps, & inducūtur Ephe 1.4. & deinceps. Sūt autē præſcientia Dei, prædeſtinatio ad vitā, vocatio, iuſtificatio, glorificatio. Nō eſt igitur quod colligāt ex hoc loco, iuſtificari hominē etiam ex ſanctimonia vitæ ac operib. bonis, ideo quòd Propheta dicat, *Beatus eſt in cuius corde non ineſt dolus*: cùm beatitatis huius nomi-

Effecta remiſſionis peccatorum.

Rom.8.1.

Sanctificatio cum iuſtificatione cohæret: vt effectū cum cauſa.

ne non intelligatur iustificatio, verùm cõmune effectum omnium aliarum benedictionum, de quibus modò dictum est, & in quibus enumerata est sanctificatio. Ergo beatũ,ex causis suis antecedentibus,sic definire possumus,vt sit is qui,ex præscientia,ac prædestinatione Dei,vocatus est,iustificatus, ac glorificatus. Ex his vides ad beatitatẽ requiri sanctificationẽ,sinceritatẽ ac puritatẽ cordis, quæ in hac vita nihil aliud est quàm inchoata glorificatio: ac beatitatem effectum esse omniũ cõmune.

Beatus, quis corã Deo.

Sanctificatio, quid.

Neq; etiã si bene aduertatur sentẽtia Apostoli,&cõsiderẽtur eius verba,videbitur eo loco beatũ ac iustũ, siue iustificatum,vt vulgò putant, pro eodem accipere. Nam μακαρισμὸς etiam apud Apostolum nihil aliud est quàm beata iustificati hominis conditio,& iustificationis,siue iustitiæ imputatæ sine operibus effectum, vnde etiá alibi Propheta noster,disertis verbis beatũ prædicat, ex operibus sanctificationis, vt psalmo 1.1. &c. Neque enim illic beatum exposuero,iustificatum,quasi iustificatum describat Propheta ex effectis cõsequentibus: verùm, beati nomine intellexerim constitutum hominem in ea vitæ conditione,quæ effectum est iustificationis,sanctificationis, omnium denique spiritualium inChristo benedictionum. Vide quę anno-

Sententiæ Apostoli, de iustificatione, consideratio.

annotauimus ad eum locum de beatitate, Rom.4.6. &c.

Cùm silerem. Hactenus fuit propositio beatitatis humanæ: sequitur eius confirmatio ex sua ipsius experientia. Est autem ea duplex. *Prima*, est miseriæ, quo nimirùm tempore sileret, ac peccatum suum non confiteretur. *Secunda*, est liberationis ac remissionis peccatorum, nempe quo tempore peccatum suum confiteretur. Dicit igitur primùm, *cùm silerem, inueterascebant ossa mea*, hoc est, cùm continerem apud me peccatum meum, cùm ipsum dissimularem: & non confiterer, *inueterascebant ossa mea*, hoc est totus conficiebar, nihílque in me tam firmum erat, ne ossa quidem ipsa, quod non attereretur Dei manu. Obserua Prophetæ verba: non enim sic loquitur, quia peccaui, inueterascebant ossa mea, verùm ita, *cùm silerem*, siue non confiterer peccatum, *inueterascebant ossa mea.*

Cõfirmatio propositionis de beatitate, ab ipsius Dauidis experiẽtia.

Ex quo disce, non ideò à Deo affligi pios, vt puniantur propter peccata sua, quæ omnia in Christi vnica satisfactione remissa sunt: sed vt ex torpore & summa ista securitate excitentur, & ad resipiscentiam adducantur. Hoc obseruo propter aduersarios, qui defendunt afflictiones, etiam piorum, totidem peccati pœnas esse

Cur pij à Deo affligantur.

temporarias, & satisfactiones pro peccato, cùm tamen vnica sit, eáque sufficiens Christi satisfactio, & pœna quam ille pro nostris peccatis omnibus luit: adeò vt, qui velit satisfactionem, quamcunque aliam coniungere cum Christi ista satisfactione, necesse sit eum perfectissimæ illi Christi nonnihil detrahere. Quin potiùs igitur tenendum est ac discendum ex hac Dauidis experientia, afflictiones piorum quascunque, non esse propter peccata ipsorum, vt nimirùm de iis sumatur supplicium aliquod: etsi alioqui earum origo & causa efficiens sit peccatum, nam peccati stipendium est mors: (idem iudicium est de aliis quibuscúnque temporariis afflictionibus) verùm Deus qui ex tenebris lucem eduxit, afflictiones eas, quæ suapte natura sunt peccati fructus, & effecta, ita mutat, vt iam euadant piorum exercitationes quædam in ipsorum bonum. Quare, vt dixi, non fiunt afflictiones propter peccatum, tanquam finem, vt ipsum plectatur, sed propter resipiscentiam, mortificationem, & conuersionem ad Deum.

Error hostium meriti Christi confutatus.

Secundò, nota hoc loco, quàm profundus soleat aliquando esse etiam piorum sopor, vt qui ita indormiant nonnunquam peccato, vt nonnisi grauissimis afflictionibus exercitati queant expergefieri, & v

De sopore piorum, cui Deus medetur, eorundem ossa conterens.

loqui

loquitur Dauid, nisi etiam ossa ipsórum conterantur, atque id etiam (quod mirum est) contingit, posteaquam iam sæpe experti sunt Dei in Christo misericordiã, & attacti sensu illo amoris Dei longè suauissimo, qui profectò eorum animum debuit facilè ac nullo negotio ad Deum allicere. Nam qui gustauit semel quàm benignus sit Dominus, oportet eum perpetuò præsentiam Dei expetere. tamen ita obfirmantur nonnunquam, & consopiuntur, vt nunquam se ad Deum velint conuertere, nisi afflictionum violentia pertracti. Admirabilis est ista securitas, admirabilis sopor, qui etiam piis nonnunquam obrepit, & ita illis excutit ad tempus gustum illum charitatis Dei in Christo, quo alioqui oportuit eos allici ad Deum perpetuò quærendum, vt nisi à Deo iudicarentur, perirent miserè etiam cum reliquo mundo. 1. Cor. 11. 32.

Est etiam hîc quod obseruemus ex verbo *Silendi*, quo quidem subobscurè innuitur aliqua peccati conscientia, & ea silentio oppressa, & iniustè, vt loquitur Apostolus Rom. 1. 18. detenta. Nemo enim hominum est conscientiæ adeò expers, qui non aliquando ab ea quasi in aurem insusurrando admoneatur peccati sui. Atque hinc est quòd homines à conscientia admoniti de peccato, (quo tamen interea summopere

De conscientia Silentij, etiam in ipsis impiis.

delectantur, ſtudéntq; ipſum in ſinu quaſi fouere) conantur omnibus modis peccatũ diſſimulare atque tegere, ita, vt ſi poſſit fieri, etiam Dei oculis non obſeruetur: eo nimirum fine, vt poſſint frui peccato, ſine conſcientiæ ſtimulo, & animi diſturbatione, quod nimirum obtinere non poſſunt, ſi peccatum ſuum in Dei conſpectu & oculis eſſe ſentiant. Inde fit, vt alij alios prætextus, quidam etiam religionem ipſam, & exteriorem cultum, peccatis ſuis prætendant. Verùm fruſtrà omnia: peccata enim tegi non poſſunt, vt dictum eſt ſuprà, niſi vnica illa Chriſti obedientia integantur.

Peccati miſeria ſumma. *In rugitu meo.* quaſi dicat, Ego interea non agnoſcens peccatum meum, affectus autem præſenti ſenſu afflictionum mearum, toto die inſtar leonis rugiebam, edebam ſonos planè belluinos. Ex quo diſce, etiam electos & pios, quo tempore traditi in manum ſuã cœperũt obbruteſcere, & peccato indormire, dum ex illo ſuo ſopore excitantur afflictionibus, belluarum more voces edere, potiùs quàm hominum ſæpiùs etiam obmurmurare, & fremere aduerſus Deum. Nam ſi communem naturam ſpectes, diſcrimen nullum eſt electorum & reproborum, piorum & impiorum. Quod profectò ſi aliquod eſt à Dei

ſol

solo est, qui solus nos discernit, qui pios tandem ad se allicit sensu aliquo amoris sui, & flectit etiam corda Spiritu suo sancto. Impios autem deserit in æternum: deserti autem afflictionibus & plagis, tantum abest vt emolliantur, vt contrà iudicentur & fiant deteriores.

Nam interdiu. Hactenus afflictio grauissima proposita est, sequitur eius ratio: quasi dicat, nihil est quod miretur aliquis esse mea ossa sic attrita, méque interea more leonis rugiisse. Manus enim Dei me die noctéque opprimebat. *Grauis*, inquit, *erat manus tua super me interdiu & noctu*, id est assiduè & sine intermissione. Atque hinc factum est vt *præstantißimus humor meus conuersus sit in siccitates æstiuas*: hoc est, vt humor ille, quo viruit corpus, exaruerit, totúmque corpus suum exsiccatum iam & aridum fuerit redditum. Amplificatio enim est oppressionis tam grauis ex effecto suo: manus enim Dei premens ipsum, expressit omnem corporis succum. Nota hîc præcipuam malorum Dauidis causam. non tam afflictiones ipsæ eum mouerũt, quàm Deus affligens, quem sensit intereà sibi iudicem. *Manus*, inquit, *tua grauis erat super me.* Quare personam affligentis respexit magnopere. Neque enim tam afficiunt homines ipsæ plagæ: quàm Dei iudicis

Afflictionis & miseriæ antea posita ratio.

Cur afflictiones piis sint grauissima.

conſcientia. Quòd ſi enim in mediis afflictionibus adſit aliquis diuini amoris ſenſus, iam leuiores videntur, tum enim concipimus animo plagas illas non iam à Deo vt iudice, ſed vt à clemente patre inflictas ſi verò in afflictionibus nullus adſit miſericordiæ diuinæ ſenſus, iam leuiſſimę alioqui, grauiſſimæ videntur nobis, non quidem tam cauſa ipſarum afflictionum, quàm conſcientiæ iudicis. Horrendum eſt enim incidere in manum Dei viuentis: & omnium hoſtium maximè terribilis eſt iratus Deus. Complures ſunt fateor, qui miſeris modis afflicti, interea tamen, vel nihil, vel parum admodum commouentur: non alia de cauſa, quàm quòd non videant à Deo eſſe afflictiones ſuas, atque inde eſt quòd, nulla Dei habita ratione, conuertant ſe ad cauſas ſecundas, atque iram ſuam in eas effundant: opinati beatos ſe fore demum, ſi in eas ſeueri fuerint. At verò ſi Deum autorem ominum eorum quæ in ipſos incidunt animaduerterent, interea autem nullo ſenſu dilectionis ac miſericordiæ ipſius in Christo afficerentur, magis profectò calamitatibus illis permouerentur, cogitaréntque aliquando de ira ac iuſtitia Dei mitiganda: neque ſic toti toto impetu in ſecundas quas vocant cauſas ferrentur. Miſerabilis ſanè eſt eiuſmodi

Cur tam multi in afflictionibus parum commouẽātur, aut vt deceet non affecti ſint.

modi cæcitas, & stupor iste hominum, quos cùm Deus sua manu exercet, ipsam tamen non vident ac sentiunt.

Notandum deinde quòd dicit, assiduam fuisse grauem illam Dei manum. Primò, est grauitas manus & iræ Dei. Deinde est citra intermissionem grauitas, cùm peccator obduratus manet aduersus fidem & resipiscẽtiam: tum induratur quasi Deus in ira sua. Testantur autem sæpe mundo iram illam perpetuam afflictiones & plagæ, quas ita Deus continuat, vt quemadmodum vnda vndam sequitur, ita plaga plagam, & maior perpetuò minorẽ excipiat. Sic Apostolus de Iudæis refractariis, *Occupat* (inquit) *eos ira Dei ad extremum vsque.* Si quando enim videmus impios ex calamitatibus emergere, non ideò cogitandum liberationem istam perpetuam fore, sed sic quasi præparari eos ad malum aliquod grauius. Concedit iis fateor Deus respirandi tempus, & interualla inter calamitates, quas immittit, satis diuturna, (qua est longanimitate) sed illi, vt ait Apostolus, pro duritia sua, & corde quod resipiscere nescit, efficiunt vt interualla illa, alioqui ad resipiscentiam concessa, nihil sint aliud, quàm præparationes totidem ad iram grauiorem.

Grauitas manus diuina.

Exemplum, Iudai. 1.Thess. 2.16.

Impij omnes.

Rom.2.5

Aliud exemplũ, pũ ipsimet. Verùm vt de piis dicam: hoc ipsi experiuntur in se, quòd dum languescit fides eorum in Christum, séque à Deo nonnunquam auertunt, statim experiuntur aliqua certè signa irati Dei. quod si etiam perseuerant in defectione sua, sentiunt Deum perseuerare in ira sua: quò nimirum illud compertissimum habeant, extra Christum nihil esse nisi iram. Quòd si nullum aliud huius rei argumentum suppeteret, quàm horrores isti quos sentiunt ni se alioqui fideles, dum Christum eiúsque sanguinem vel negligunt vel non satis firmiter apprehendunt animo suo, profectò, vel eò satis declaratur, extra Christum non esse homines in tuto: extra Christum nullam esse veram pacem ac tranquillitatem animi: cùm in eo solo ipsius Dei ira conquiescat.

Alterum membrum prima partis Psalmi, de experientia liberationis. *Peccatum meum.* Hactenus fuit prima experientia Dauidis, nempe miseriæ: sequitur nunc experientia secunda, nempe liberationis. Summa est, quum confiterer peccatum, remisisti mihi & peccatum & pœnam peccati. Sed verba sunt attendenda. *Inquiebam*, id est, apud animum meum proponebam, & statuebam, peccatum meum confiteri. hoc autem effert tribus modis. Primùm, inquit, *peccatum meum notum faciam tibi*; tum, *iniquitatem*

meam

meam non tegam : Postremò , *defectiones meas confitebor Iehouæ.* Eodem recidunt tres istæ loquutiones. Triplex autem ista repetitio eiusdem rei , vel indicat quàm seriò confessus sit peccatum suum , vel certè arguit in deliberatione luctam aliquam, vel conflictum cum carne hominē retrahente à libera & ingenua confessione. Eluctatur itaque, ac confessionem peccati sui multiplicat. *Et tu sustulisti*, hoc est, remisisti mihi peccatum meum. Nam remissio peccati tum est , cùm reatus ac pœna, inquam, tota, non aliqua duntaxat pœnæ pars, siue maior ea, siue minor. Christi enim pro peccato plena satisfactio est, cui profectò tantum detrahitur , quantum defertur satisfactionibus nostris. Sed de hac re suprà.

Nota hîc primum, non priùs confitetur peccatum suum Dauid , quàm ipsum remittatur , neque citiùs consilium cœpit confitendi peccatum , quàm sublata sit peccati pœna : quod profectò argumentum est, non tā peccatum ipsum esse reatus ac pœnæ causam , quàm duritiam , & (vt loquitur Apostolus) cor quod resipiscere nescit. Procurat quidem fateor Dei iram peccatum , sed obstinatio in peccato iram continuat & thesaurizat. Quòd si enim quis peccatum suum confiteretur , non

Doctrina.
1. *de iræ diuinæ ac pœnarum causis.*

iam ampliùs Deum sibi iratum haberet. Verùm, quia pro duritia sua non confitetur peccatum, ideo manet ira, neque tantùm manet, sed ingrauescit. Vnde Paulus,
Rom. 2.5. *Tu homo, pro duritia tua, & corde quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi iram in diem iræ, & iusti iudicij Dei.* Quam enim putabimus causam, cur tam grauis futura sit ira Dei in illo die? Causa profectò futura est tam grauis iræ, non tam peccatum ipsum, quàm obduratus in peccato animus, & gratiæ contemptus. Neque enim leue putandum est id quod dicitur ab Apostolo, tantá
Hebr. 2. 3. salutem negligere, esse filium Dei respuere, in quem qui non credit, vt dicitur apud Ioannem, iam condemnatus est: quia non
Ioan. 3. 18. credit in vnigenitum Dei filium.

2. Doctrina. *De fiducia peccatoris conuersi ad Deum.* Obserua deinde in hac Dauidis confessione παῤῥησίαν eam qua vtitur peccator iam conuersus ad Deum. *Confitebor tibi*, inquit, *peccatum meum.* Arguit autem libertas hæc, diuini erga ipsum amoris sensum, & fiduciam gratiæ ac remissionis peccatorum in Christo. fieri enim non potest, vt peccator se ad Deum conuertat, confiteatur peccatum, remissionem peccati imploret, nisi iam priùs sit aliquis
Exemplũ oppositũ, ad amplificationẽ. sensus gratiæ ac veniæ quodam modo impetratæ. Iudæ extorsit confessionem conscientia, at coram Deo peccatum non au-

sus

ſus fuit confiteri, neque in eum modum, quo hoc loco Dauid, cum Deo agere, *Peccatum meum*, inquiens, *notum faciam tibi.* Sed recedens ac obuertens quaſi Deo tergum, *Peccaui*, inquit, prodito ſanguine innoxio. Quamobrem, vt in ſumma dicam, confeſſio peccati corā Deo, & veniæ petitio, hoc eſt libertas iſta qua quis audet coram eo apparere, ſeque ſiſtere ad ipſius tribunal, ſatis arguit ſenſum gratiæ aliquem, & ipſam illam peccati remiſſionem, quam petimus certo quodam modo impetratam Mat. 27. 4.

Propter hoc oraturus eſt te. Commendat proximam hanc quæ fuit miſericordiæ diuinæ experientiam ſuam, ex effecto ſuo in fidelibus quibuſcunq; futuris in poſterū. *Propter hoc*, inquit, id eſt, propter hanc experientiam tuæ erga me miſericordiæ: *Oraturus eſt te*, hoc eſt, confeſſurus eſt peccata ſua, vel veniam petiturus eſt, is quem tu benignitate proſequeris: id eſt, non ſine diſcrimine quolibet, verùm, is demum quem diligit Deus. Huius dilectionis & benignitatis, vt modò diximus, oportet ſenſum aliquem eſſe, priuſquam audeat quis coram Deo vel peccatum confiteri, vel peccati veniam implorare. At quo tempore oraturus eſt, quem Deus benignitate proſequitur? *Quo tempore*, inquit *obuenerit*, nempe, *In innunda-*

3 Doctr. *De vſu exemplorum quæ in S. ſcripturis occurrunt.*

tione aquarum. Antequam formam illam specialem orationis & precationis, quam dixit vsurpaturum eum, quemcunque Deus benignitate prosequitur, in medium afferat, inserit per parenthesin promissionem qua oraturum excitat ad preces atque confirmat. *In inundatione*, inquit, *aquarum multarum*, id est in procellis & fluctibus calamitatum vehementissimis (vt suprà 18. 17. & Psal. 69. passim.) *ad eum non pertingent tantùm*, id est non vel leuiter eum mouebunt: adeò firma est charitas Dei in Christo Iesu. Quòd si ad eum pertigerint, tantùm aberunt ab eo, vt possint hominem lædere, vt è contrà ipsi bono futura sint: diligentibus enim Deum omnia conferunt in bonum. Quamobrem Apostolus cùm sentiret sese fundatum in illa charitate, securè gloriatus est aduersus res creatas, aduersarias quascunque, vt oppressionem, angustiam, nuditatem, famem, gladium, mortem, vitam, potestates, & imperia. Atque id quidem fecit, non quidem eo quòd cogitauerit, vitam hanc præsentem non posse per hæc aduersa de medio tolli (nam & ipse postea contrarium est expertus) verùm, ideo quòd expectauerit, ac certò sperauerit illam Dei, cum hac vita non intermorituram.

Metaphorica loquutio de tentationibus piorum.

Rom. 8.5.

Rom. 8.28

4. Doctr. Non est istud prætermittendum quod

Dauid

Dauid oraturum istum, quicunque demum is futurus sit, confirmet promissione eius rei quam petiturus est, atque ita eum animet ad preces. Hoc enim exemplo discimus, quicunque volumus cum fiducia precari, oportere nos inter precandum perpetuò ante oculos habere Dei in Christo promissiones, atque earum, quantùm fieri potest, meminisse. Si enim nulla sit de promissionibus Dei cogitatio, quæ fiducia quæso, quis ardor inter precandum esse potest? cùm sine ipsius Dei verbo non sit fides, & frustrà polliceatur aliquis sibi, quidquam boni, vel gratiæ à Deo, cuius certitudinem aliquam nõ habeat ex ipsius Dei verbo ac promissione. Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei: verum quidem id est neminem reperiri, qui non commoueatur interdum sensu indigentiæ suæ, atque ita vel necessitate ipsa cogente ad aliquas preces concipiendas prouocari. Sed si nulla sit ob oculos Dei promissio, nullum Dei verbũ de eo quod petunt, quo vultu aut quo animo audebunt ad Deum accedere? Id ego noto diligentiùs, ob eam causam, vt sciant omnes quàm sit necessarium Dei promissiones omnes, siue illæ sint de rebus temporariis, siue de rebus æternis, ex ipsius Dei verbo & Scripturis sacris scrutari ac discere. In

Fulcrum orationis in tentationibus grauissimis, promissiones Dei in Christo.

Rom. 10. 17.

quibus profectò qui versati sunt optimè, illi precantur optimè. Cùm de promissionibus agitur, non est silentio prætereundus Christus, *in quo omnes Dei promissiones sunt: ita, & amen*, hoc est, suum habent & fundamentum & complementum, sine quo, profectò, frustrà intueris promissiones vel temporarias vel æternas. Quamobrem, qui intuetur Dei promissiones, si cum fructu aliquo velit eas intueri, necesse est primum omnium, earum principium & finem Iesum Christum, vel intueatur, & nunquam eum patiatur ex oculis suis discedere.

5. Doctr. *De conceptis precibus, & orationis ad Deum formula.*

Tu latibulum es mihi. Hactenus misserta fuit obiter promissio, sequitur nunc orationis formula qua vsurus est ille dilectus Deo, quisquis sit, ídque, fretus Dauidis exemplo & experientia. In hac oratiuncula, non tam numeranda quàm ponderanda sunt verba. Ante promissionem præfatur Deum esse latibulum, ac profitetur fiduciam suam in solo Deo esse: quod quidem est petitionis fundamentum imprimis solidum, & argumentum vehemens, ad conciliandam Dei gratiam. Quum enim non in hominibus, non in meritis nostris, quibus confidunt Papistæ, neque in vlla re alia, verùm in solo Deo per Christum Iesum, fiduciam

fiduciam tuam inter precandum collocatam esse præ te fers, ac profiteris, iam profectò affers tecum aliquid quo nihil Deo gratius acceptiúsque esse potest. Petitio autem est in his verbis: *Ab angustia custodito me*: Deinde, in eundem ferè sensum, *circundato me cantionibus liberationis*, quasi dicat: libera me, vt materiam habeam canendi laudes tuas. Petit itaq; liberationem, propter Dei gloriam, cuius haud dubiè maiorem habuit rationem quàm sui ipsius. Debemus enim omnes, in petitionibus nostris, Dei in Christo gloriam, imprimis habere ante oculos. Quum verò iam impetratum est quod petiuimus, tenemur eo beneficio sic vti vt cadat in Dei gloriam, hoc est, in eo vtendo debemus perpetuò Deum respicere: secùs enim, vera accepti beneficij perceptio ac fruitio esse non potest. Dicit Paulus, *siue editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*. Nulla enim est, ne cibi quidem quem capimus, vera fruitio, nulla ex eo vera voluptas, nisi edamus Domino, hoc est, eo vescamur in Dei gloriam. fieri enim potest, vt cibum eum cum belluino quodam sensu ac voluptate deuoremus, id quod faciunt plerique: verùm vt cum vera illa voluptate ac vera suauitate ea participemus, fieri non

Petitionis summa.

Finis precum, gloria Dei in Christo.

Confirmatio, à dicto Apostoli. 1. Cor 10. 31. Rom. 14. 6.

potest, nisi in ipso vsu Deum eiúsque gloriam intueamur.

6. Doctr. *De genuinis discipulis, in Dauidis schola institutis.* Vnum hîc ex hoc effecto experientiæ Dauidis obseruabimus, priusquam ad reliqua pergamus, alios quidem dicit sequuturos exemplum suum. Sed quos? nimirum qui quemadmodum ipse confessus est peccatum suum, ita ipsi confessuri sunt peccatum suum: & quemadmodum ipse orauit Deum, ita & ipsi Deum oraturi sunt. Sic Paulus alios dicit sequuturos exem-
1. Tim. 1. 16. plum suum. At quos? eos nimirum qui, quemadmodum ipse credidit, & ipsi credituri sunt: *Vt essem*, inquit, *exemplo credituris in vitam æternam.* Disce igitur, quotquot exempla misericordiæ diuinæ extiterunt iam inde à condito mundo, ea esse posteris totidem consolationes & documenta misericordiæ erga ipsos diuinæ: sed ita demum vt eam misericordiæ viã ingrediantur, quam ante eos iam ingressi sunt pij illi homines, qui ipsos præcesserunt, hoc est, si crediderint in Christum Iesum,
Aduersus Epicureos. si resipuerint, si conuersi fuerint ad Deũ, si orauerint. Hoc idcircò obseruandum putauimus, quia videmus non paucos abuti exemplis piorum hominum, existimantes si ea tantùm in ore habeant, fore statim vt etiam cum ipsis similiter agatur, misericordiam similiter etiam ipsi consequantur,

tur, cùm intereà non conentur insistere piorum hominum vestigiis, cùm sine fide sint, sine Christo, sine Deo in mundo. At longè falluntur. Nam, vt demus eos in numerato habere, quotquot vnquam extiterunt misericordiæ diuinæ exempla, tamen affirmamus, nisi idem illud vitæ institutum sibi sequendum proponant, quod ante eos pij illi homines (quorum exempla iactitant) sunt sequuti, ea ad ipsos nihil pertinere.

8 *Erudiam te & docebo qua via ambulaturus sis: consilium dabo, attento in te oculo meo.*

9 *Ne estote vt equus, vt mulus, expertes intelligentiæ: cuius os fræno & habena constringendum est: ne appropinquet ad te.*

10 *Magni dolores sunt improbo: qui autem fiduciam habet in Iehoua, benignitas circumdat eum.*

Hactenus fuit prima pars Psalmi, de hominis beatitudine, ipsius Prophetæ experientia illustrata. sequitur nunc secunda, in qua, per apostrophen conuersus ad fidelem quemcunque, doctrinam illam superiorem specialiter ad eum applicat: ipsúmque instituit in vera illa felicitatis via, simúlque excitat ex misera illa carnis securitate. Ante applicationem est præfatio, in qua oblata vera institutione ac

Secunda pars Psalmi, continens applicationem doctrinæ superioris, ad vnum quemque fidelium.

eruditione, eum hominem quem docere instituit ad attentionem excitat. Nam securo homini, ac dormienti in peccatis opus est attentionis argumentis, quibus pungatur & expergefiat, acutissimis.

Præfatio. Præfatio itaque sic habet: *Erudiam te, docebo te qua via ambulaturus sis, consilium dabo, attento in te oculo meo.* hoc est, summa cum sollicitudine ac studio. Quædam hîc nobis obseruanda sunt. Primùm: suprà dixit Dauid oraturum Deum exemplo suo, quem Deus benignitate prosequitur, eo nimirum fine, vt similem consequatur misericordiam. Nunc verò, non contentus eo, quòd sua sponte alij sint oraturi Deum, ipsius exemplo, conuertit se ad fidelem quemcunque, eúmque sua ipsius voce instituit. Etsi diuinæ erga te

Verè pij officium. misericordiæ exemplum illustre sit, adeò ex sese, vt alij etiam sine te Doctore, illud videre ac imitari possint: tamen non diceris tu defunctus esse officio, nisi conuersus ad fratres, diuinam erga te misericordiam ipse prædices, & apud eos Doctoris partes agas. Quis enim potest feliciùs & maiori cum fructu concionari de gratia ac misericordia diuina, quàm is qui ipse expertus est eam? Neque enim qui nullo vnquam tempore gustauit quàm benignus sit Dominus, satis idoneus illius

beni-

benignitatis peccato esse potest. Quamobrem oportet vt is, in quo misericordiæ exemplum est editum, experientiam suam cum aliis communicet. Neque enim sibi duntaxat accipit quisquam gratiam, sed & aliis, vt alij etiam eâ gratiâ meliores efficiantur. Sic Christus Petro inquit, *Tu conuersus confirma fratres.* Estque ea fidei natura, vt manum suam omnibus porrigat, ad hoc, vt, si fieri possit, omnes seruentur, Paulus cùm causam suam ageret coram Agrippa Rege, posteaquam historiam vitæ suæ contexisset, oblitus sui, oblitus vinculorum suorum, ac conuersus ad Agrippam Regem, in eo totus fuit, vt hominem ad fidem adduceret. *Credisne*, inquit, *Rex Agrippa, Prophetis? Scio*, inquit, *te credere.* Tum Agrippa, *propemodum persuades mihi vt sim Christianus.* Iterum Paulus, *optarim à Deo vt & propemodum, & admodum, non tu modò, sed omnes qui me audiunt, facti essent tales, qualis ego sum, exceptis his vinculis.* Quid igitur? An se beatum etiam vinctus Paulus, præ tanto Rege, existimauit? Sanè qui diuinæ in Christo gratiæ suauitatem semel degustarunt, ij etiam Reges huius mundi, quos extra Christum vident præ se infelices putant, quanquam ipsi non Regibus modò, sed etiam toti mundo miserrimi esse videantur. Cùm igitur Paulus

Conformatio à prærepto Christi.

Luc. 22. 32.

A natura fidei.

Ab exemplo Pauli.

Regum mundi, extra Christum, miserrima conditio.

optaret sibi similem Agrippam, qui cùm sine Christo fuit, putauit haud dubiè tantum Regem præ se infelicem ac miserum, quòd cùm cogitaret, misertus eius, porrecta quasi manu, voluit hominem ad Christum deducere, misertus, inquam eius, id voluit: Soli enim fideles ac pij qui Dei misericordiam ipsi experti sunt, verè misericordes sunt. Agrippa enim non sic misertus est Pauli, quem tamen iudicauit tum miserum, quem vidit vinctum & omnibus iniuriis inimicorum suorum expositum. Quare, vt semel dicam, illud verum esse conspicitur, vel ex hoc vnico exemplo, pios quosque nihil æquè expetere ac salutem ac conuersionem hominum miserorum. Quid enim? Tu qui in gratia stas, putasne fore vt aliquid imminuatur de gratia tua, si eam liberaliter cum aliis communices? Annon illud experimur, communicationem istam, vel imprimis valere ad augendam in nobis fidem ac gratiam? Vnde Paulus Rom. 1. 12. optauit Romanos inuisere, vt mutuam consolationem perciperet per mutuam fidem suam & ipsorum.

Singuli ad se doctrinam pietatis applicare tenentur.

Secundò, obserua quòd conuertat se Dauid non ad plures, sed ad vnum aliquem. *Erudiam te*, inquit, *& docebo te.* Ea re commendat singulis doctrinam hanc beatitatis, vultque vt singuli eam ad se seor-

seorsum applicent. In genere enim proposita vel concepta doctrina, minùs est efficax: ad vnumquemque verò sigillatim applicata, magis penetrat in animum, & citra accommodationem particularem promissiones Dei in Scripturis sacris, neque fidem aut spem accensuræ sunt, neque accensam nutrituræ. Ideóque Paulus, allatam in medium Scripturam, ad Romanos applicat, cum hac admonitione, *quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Quibus quidem verbis, sine applicatione veram consolationem ac spem non habere nos significat. Quamobrem attendendum est, quomodo vel audiamus vel legamus Scripturas, quæ alioqui in genere omnibus proponuntur: dandáque est opera, vt singuli in genere proposita ad se trahant in specie. Exempli gratia, cùm proponitur hæc sententia, Iesus Christus venit in mundum vt peccatores seruaret, debemus singuli, sicut ipse Paulus ibidem facit, eam ad nos ipsi restringere, facta quasi sub-sumptione: at ego peccator sum: & conclusione, Ergo Christus venit in mundum vt me seruaret. quam quidem conclusionem particularē simulatq; apprehendit animus, in ea iam conquiescit, eáque quasi pascitur

Confirmatio à dicto Pauli.
Rom. 15. 4.

Altera confirmatio ab alio dicto.
1. Tim. 1. 15.

Heb.6.18. ac nutritur, valida cum consolatione.

De officio Doctoris & pastoris Ecclesiæ. Tertiò, obserua, Dauid, dum promittit ei quem instituturus est doctrinam ac eruditionem, eadem operâ eum ad attentè audiendum, & capessendum auidè quod dicturus est, præparat. Qui comparat se ad alios erudiédum, proximè secúdùm De gloriam debet propositum sibi habere nó quæstum suum, non inané gloriá, aut quid simile. sed eius bonum, quem informandú suscipit: idque & in sermone, & in tota vita præ se ferre debet. Ita enim fiet vt is quem instituit, dú videt proximè secundùm Deú salutem suam Doctori suo propositam esse, maiori cú alacritate animú aduertat ad ea quæ dicuntur. Alterutrum enim necessarium est, vt vel ad vitá vel ad morté peccatoris efficax sit doctrina, quæ ab eo profecta est, qui cum hac animi simplicitate ac sinceritate ad docendum prodiit. Paulus Apostolus, postquá dixit se Christi bonam

Confirmatio à dicto & exemplo Apostoli.

2. Cor. 2. 15. fragrátiá esse Deo in iis qui seruantur, & iis qui pereunt, his quidem odorem mortis ad mortem, illis verò odoré vitæ ad vitam, subiecit, *Non vt plerique cauponantur sermonem Dei, sed vt ex sinceritate, sed vt ex Deo, in conspectu Dei.* Ergo sinceritas in docendo, vel vitam vel mortem efficiet. Quare, vt dicam verbo, sinceritas illa ac simplicitas animi, quæ Dei gloriam sibi imprimis propositam habet, in doctore & mini-

stro

ſtro ante omnia requiritur: dico imprimis Dei gloriam, quia eam etiam ſaluti hominum anteferre oportet, quæ quærenda eſt quidem tanquam doctrinæ ac miniſterij finis proprius. Miniſter enim non debet reſpicere primùm & propriè, vt ſermo ipſius ſit odor mortis ad mortem: veruntamen, ſi alia ratione obtineri non poſſit Dei gloria, niſi quorundam hominum induratione, quærenda eſt Dei gloria vel cum omnium mortalium confuſione. Eſto Deus verax, omnis autem homo mendax. Rom.4.4. Et penes nos ſit pudor vultus, ac penes Dan.9.9. Deum noſtrum ſint commiſerationes. 10.

Quibus vocibus, animi ſtupidi ſint excitandi.

Ne eſtote vt equus. Hactenus fuit præfatio ad attentionem: nunc doctrinam paucis abſoluemus. *Ne eſtote*, inquit, *vt equus, vt mulus.* Alloquitur præſertim ſtupidos, & obbruteſcentes ad afflictiones & exercitationes Dei. Expertus enim loquitur: nam & ipſe aliquando etiam obbruteſcebat. Ideóque tales, quales ipſe aliquando fuerat, his verbis alloquitur: quaſi dicat. Ne obbruteſcite, miſeri, ad exercitationes Dei, tanquam equus, mulus, & bruta animantia, intelligentiæ ac rationis expertia. *Cuius os.* Sequitur nunc grauis comminatio, ad hoc vt ex tam profundo ſopore quaſi excitentur. quaſi dicat vt equus & mulus nulla alia ratione doma-

Comminatio clamoſis verbis admiſcenda.

ri possunt, quàm iniecto in os fræno: ita Deus, nisi tandem euigiletis ex lethali isto sopore, frænos potentiæ suæ ad domandã istam feritatem iniecturus est in os vestrũ.

Expressis & disertis verbis tandem cum refractariis agendum est.

Magni dolores sunt improbo. Tum apertis & propriis verbis, quod priùs impropriis, & per allegoriam propositum est, exprimens, atque apud animum suum ponderans, tam miseriam obstinatorum quàm fidelium fœlicitatem, exclamat in hunc modum: *Magni dolores sunt improbo*, hoc est obstinato in improbitate sua: contrà

Pij & humiles confirmandi sunt.

verò qui fiduciam habet in Iehoua, *benignitas circundat eum:* hoc est ab omni parte munit, vt tutus sit vndequaque ab insultibus & tentationibus aduersariorum. Sic igitur & stupidos terret denuntiatione miseriæ, & credentes confirmat felicitatis prædicatione. Ponit igitur ante oculos stupidorum hominum, conditionem vtriusque & fidelis, & infidelis, idque eo tum verborum pondere, vt si fieri possit stuporem illum ipsis semel excutiat.

Pij quale ferant de peccatoribus in peccato securè stertentibus iudicium.

Obserua hîc primùm, Dauid ipse liberatus ab illo suo stupore, & carnali securitate, statim intuetur alios quasi peccato indormiscentes: eos intuitus, reputat miseros, imo mulorum & equorum loco habet. Pij, vbi semel ex peccato ipsi euigilauerint, ac aperti sunt eorum oculi, tum inspicien-

ſpicientes eos, quos paſſim videas adeò conſopitos, vt ne vel vllis afflictionibus ex tam profunda ſecuritate expergefieri poſſint, eos eodem loco habent cum belluis indomitis & rationis expertibus. Et reuera quidem, niſi reſipuerint, deteriori loco ſunt quàm ipſæ belluæ, quicunq; demum illi ſint. Exiſtimant ſe beatos eſſe viri principes, cùm in equos & mulos ſuos aſcendunt, eóſque huc illuc agitant, ſed ſi id faciunt ſecuri Dei, ac miſericordiæ ipſius in Chriſto Ieſu, tum profectò ipſis equis ſuis, ac mulis miſeriores ſunt. fieri quidem poteſt, vt ad breue tempus prout velint graſſentur, & omnia peſſundent, verùm, niſi tempeſtiuè expergiſcantur ex illo ſuo veterno, futurum eſt repentè vt Deus iniiciat frænos in os ipſorum, & dū dicunt pax, & tuta omnia, repentinum iis immineat exitium, vt dolor mulieri parturienti. Non fruſtrà dictum eſt à Chriſto, vigilate, & orate. Neque enim aliud eſt certius ſignum futuri iudicij grauiſſimi, quàm ſecuritas iſta carnalis.

Principū & magnatum Chriſto rebelliū miſerrima conditio.

1. Theſſ. 5. 3.

Matth. 26. 4.

Obſerua item, Dauid expertus & miſeriam ſtupidorum hominum, & felicitatem piorum, vtrumque apud animum ſuū ſeriò ponderat, ac de vtroque loquitur grauiſſimè. Qui enim ſemel experti ſunt & guſtarunt pariter miſeriam ac felicita-

Piorum, afflictionibus & tētationibus variis exercitatorū eſt, de miſeria & felicitate hominis, diſſerere.

tem, ij demum sunt qui & animo ponderare possunt miseriá hominis eiúsq; felicitaté, & de miseria ac felicitate loqui grauissimè: possunt inquã ex animo & sensu cordis de inferis, de cœlis, de pœnis inferorũ, de cælesti gaudio. Neq; enim putãdũ est quẽuis sine discrimine de his rebus vt oportet verba facere posse, vel quẽuis sine discrimine posse eas capere, dũ piũ aliquẽ & expertum de his verba faciẽtem audit. Quáobrẽ cuiuis securo ac oppresso lethali illo peccati somno, vel vnicá hác sentẽtiam per totam vitam ponderandam propono, nempe hanc quæ habetur hoc loco: *Magni dolores sũt improbo, qui autẽ fiduciã habet in Iehoua, benignitas circumdat eum.* Hæc ideo diligentiùs obseruo, vt ad hæc cõnitamur omnes, vt animos nostros quasi grauatos & pressos sentiamus primùm grauitate & pondere miseriæ: deinde pondere illo felicitatis ac gloriæ excellenter excellentis, vel loquar cum Apostolo. Sic enim futurum est vt de miseria ac felicitate humana grauiter possumus concionari, adeóque cum pondere aliquo: & istarum rerum sensu stupidum hunc mũdum, si fieri possit, semel afficere, qui nisi tempestiuè aliquo certè modo istarùm rerum pondere commoueatur, futurum est profectò vt apud inferos, intolerabili illo iræ

Pia & grauis hortatio.

diui-

diuinæ pondere opprimatur.

11 *Lætamini in Iehoua, & exultate iusti & cantate, omnes recti animo.*

Lætamini. Hactenus fuit secunda pars Psalmi, nempe applicatio: sequitur nunc postrema conclusio, in qua hortatur eos, quos Iehouæ acceptos & beatos proximè prædicauit, ad lætitiã & lætitiæ certa quædam indicia, cuiusmodi sunt cantiones: *lætamini,* inquit, *in Iehoua, & exultate iusti.* lætamini, inquit, non in vobis ipsis, sed in Iehoua, ex quo nimirum solo est tota illa vestra beatitudo in Christo Iesu: ita enim loquitur Paulus, *Ex ipso estis vos in Christo Iesu,* quo significat, omnem illam excellentiam, & beatitatem nostram, ex Deo esse in Christo, hoc est, per coniunctionem illam nostri arctissimam cum Christo, *qui factus est nobis sapientia, iustificatio, sanctificatio & redemptio:* tum finem cur ex Deo sumus in Christo, postea vers. 31. subnectit, *vt,* inquit, *sicut scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur,* nempe ex quo est in Christo. Quo in loco admirabilis apparet Dei sapientia, qua prouidit atq; cauit suæ ipsius gloriæ, quam alioqui homines ambitiosi natura, & blasphemi, sibi vẽdicãt. Non elegit quidẽ multos sapientes, multos potẽtes, multos nobiles: sed elegit stulta, infirma, & ignobilia, quæ imbueret do-

Conclusio Psalmi, exhortatoria.

1. Cor. 1.30.

nis gratiæ suæ, in Christo, eo nimirũ fine, vt caro non gloriaretur in se, sed agnosceret quicquid habet, à Deo esse acceptum, ideoque in eo per Christum Iesum gloriaretur.

Ad quos pertinet hæc exhortatio.

At quinam sunt quos ad lætitiam exhortatur? *lætamini*, inquit, *iusti & recti corde*. his appellationibus iustitiæ ac rectitudinis, ex quibus est illa beatitudo. Nam, vt dictum est suprà, etiam ex sanctitate ac cordis sinceritate est beatitudo. his inquam appellationibus beatos designat, & eós quos dixerat, proximo versu, benignitate Dei circundatos. Quo loco nota primùm, non nisi beatos, & (vt ipse vocat) iustos ac rectos corde gaudere vnquam verum ac solidum gaudium. Neque enim istam mundi lætitiam, quæ est iniustorum & miserorum hominũ, lætitiæ non ne propriè, appellarim. Nam nulla pax improbis, dicit Dominus. Nota rursus, lætitiam animo semel conceptam, non continere se quin erumpat, vel in cantum, vel in gloriationem aliquam. Ideóque Dauid iustum hominem iubet cantare. Atque gloriatio ista non est tum duntaxat, cùm res sunt prosperæ, & secundæ: verùm etiam tum cùm aduersæ sunt. Nam qui perfunduntur vera illa lætitia & fruuntur pace illa, quæ superat omnem intellectum, vt ait Paulus, in afflictionibus glorian-

Pij soli gaudere sciunt & possunt.

Esai. 48. 22. & 57. 21.

Gaudij veri & solidi natura.

Phil. 4.7. Rom. 5.3.

gloriantur sub spe gloriæ Dei, cui sit omnis gloria in seculum: Amen.



PSALMVS XXXIX.

Argumentum.

Psalmus est ὑπομνηματικός. Dauidis eum esse ex inscriptione patet. videtur autem ex contextu, & argumento, eo tempore scriptus esse, quo Dauid in summas angustias, coniuratione Abschalomi, coniectus est. Argumentum Psalmi, & summa eius hæc est. Agnoscit Dauid *primùm*, aberrasse se ab instituto silentio, & patientia, séque *deinde* corrigens, precatur Deum. *primùm* igitur hoc Psalmo, est *narratio* ad vers. 8. *deinde*, est *precatio* ad finem vsque.

1 *Magistro symphoniæ, Ieduthuni, Psalmus Dauidis.*

2 *Dixeram, obseruabo vias meas, ne peccem linguâ meâ: seruabo circa os meum capistrum, tantisperdum improbus erit coram me.*

3 *Obmutueram taciturnus, silebam etiam à bono, cùm dolor meus incrudesceret.*

4 *Incalescente verò animo meo in me, in meditatione mea, exardescente igne, loquutus sum linguâ meâ, dicens:*

5 *Fac vt experiar, Iehoua, finem meum: nã mensura dierum meorum, quid est? experiar quàm durabilis sum.*

6 *Ecce, palmares dispofuisti dies meos, & tempus meum, vt nihil est coram te: profectò,*

omni modo vanitas omnis homo est: quantumuis constitutus. Sela.

7 *Profectò, per imaginem præterit quisque: profectò, in vanum perstrepunt: congregat quispiam, sed nescit quis recepturus sit ea.*

Narrationis tres partes.



IXERAM. Narrationis tres sunt partes. *Primò* enim, proponit cõsilium se cœpisse vitæ patienter transigendæ, v. 2. *Deinde*, subiicit, se prout cõsilium cœperat, ita viuere cœpisse, principio vers. 3. *Tertiò*, addit se ab incepto defecisse, ab altera parte vers. 3. ad vers. vsque 8. Vt igitur redeamus. Narrat primùm, consilium se cœpisse patienter vitæ transigendę. In hunc autem sensum primùm in genere loquitur, *Obseruabo vias meas.* hoc est totam vitam: Deinde in specie, *ne peccem lingua mea*, quo significat, obseruaturum se ne lingua & sermone aberret. In lingua enim & sermone regendo cernitur aliquota pars vitæ nostræ. Quo autẽ melius linguã suã regat, seruaturum se dicit *circa os capistrum*, ad linguam nimirũ frænandã: sumpta metaphora ab equis ferocioribus. Tum tempus silentij sui notat, & linguæ coercendæ, *Tantisperdum*, inquit, *improbus erit coram me*, hoc est, quotiescunque Deo videbitur improborũ opera me exercere.

Prima pars.

Obmutueram taciturnus. Secunda pars Narrationis, qua exponit inceptam à se consilij

Altera pars narrationis.

consilij capti executionem. *Obmutueram*, inquit, *taciturnus*. Deinde amplificatio est à maiori: q. d. imò ne bonæ quidem, & iustę defesionis meæ recordabar apud illos, sed missa faciebam omnia, & patienter, perferebam. huius rei exemplum vide in Dauidis historia Simei. Dauidi ab Abschalomo fugienti venit ob viam, neque verbis modò, sed lapidibus eum petiuit: Dauid autē, mirifica patientia, hominis contumeliam & iniuriam sustinuit. 2. Sam. 16.5.&c.

Cùm dolor meus. Tertio loco narrat Dauid & fatetur, aberrasse se ab instituto suo. Aberrationis autem summa est verbis illis quæ sequuntur vers. 4. *Loquutus sum lingua mea*, hoc est, obmurmuraui Deo. Tres autē causæ aberrationis precedunt. Prima est hoc loco, quasi dicat, Cùm nullus esset calamitatum finis, dolor meus tanquā vulnus incruduit. Secunda est principio versus sequentis, *Cor meum incaluit intra me*. Tertia est in secunda parte versus sequentis, quasi dicat, Meditatione frequenti ac cogitatione accensus est affectus, & quasi inflammatus est totus. hanc animi perturbationem summam demonstrauit Dauid, cùm Tziba adueniēs, herum Mephibosetum falsò accusauit affectati regni. *Tertia pars.* 2. Sam 16.1.

Obserua ex his omnibus, primùm, Dauid consilium cœpit patientiæ, incœpit *De lucta perpetua piorum.*

captum consilium exequi, ab executione defecit. A gratia Dei est, quòd consilium faciendi quod bonum est capimus. A gratia Dei est, quòd incipimus persequi id boni quod decreuimus: vix autem incepimus, cùm si deferamur à Domino, (quæ est naturæ nostræ infirmitas) statim deficimus. Quare, opus est nobis assidua Dei gratia in tota vita, & omnibus vitæ actionibus: ad finem alioqui non poterimus perseuerare.

De eorundem patientia. 2 Illud obseruandũ est, quòd Dauid nõ temerè ingressus sit viã hãc silentij, ac patiẽtiæ, verùm cõsultò id fecerit. h.e. capto priùs cõsilio. Quisquis igitur vult patienter hãc vitã transigere, & omnino bene viuere, ad id faciendũ se quodãmodo obligare debet, certo animi sui decreto, ac præmissa deliberatione. Facit enim illud imprimis, aduersus subitos istos animorũ motus: videas n. non prauos huc illuc affectib. suis celeriter abripi. Caussa est, quòd nũquã apud se decreuerint patiẽter vitã transigere: inde euenit, quod si re aliqua vel leuicula moueantur, statim soluatur eorum lingua ad conuitia, & manus armetur ad nefas aliquod perpetrandum. *Aduersus impatientiam & iram.* Existimant homines vulgò non esse magni animi iniuriam perpeti, neque putant se posse viros esse nisi in belluis transformentur. E-

quidem non existimo quenquam istorum Dauide illo fortiorem esse, vel animo maiorem, qui tamen apud animum suum decreuit omnes iniurias perferre. Ferocia est ista nostrorum hominum planè belluina, non magnitudo aliqua animi.

3. Obseruandum, quòd affectus Dauidis tandem efferbuerit, & tandem ipse loquutus sit: ea enim vis est effectuum nostrorum, vt etiam regenitum hominē trāsuersum rapiant. Ex quo videas adhuc reliquias aliquas peccati in optimo quoque permanere, & non nisi somnium esse perfectam istam Papistarum regenerationem. Istos homines puto ego nunquam adhuc satis in se descendisse, & quid penitus animo lateat vidisse. *Noui*, inquit Apostolus iam regenitus, *in me, hoc est, in carne mea, non habitare bonum*. Sensit ille quidē magnitudinem peccati inhærentis, & legem illam, quam vocat membrorum, rebellantem legi mentis: quam quidem isti nondū vel senserunt, vel sentire voluerunt.

De vi affectuum & peccati reliquiis in homine regenerato.

Rom. 7. 18

4. Obseruandum, nō statim cessisse Dauidē affectui suo: vides. n. hîc certis quibusdam gradibus eum erupisse in has voces. Nobis enim in dies, malis succedentibus, primùm omnium dolor tanquam vulnus recruduit, deinde incaluit cor, tertiò, exarsit ignis, & tum quidem soluta est lingua,

Discrimen multiplex renati & non renati hominū: vtriusque ingenij.

disce igitur, non absque lucta aliqua regeniti hominis affectiones erumpere: quo quidem differt renatus à non renato: qui facilè & leui aliquo motu, ad quiduis adducitur. atque hinc oritur etiam aliud discrimen renati, & non renati. Renatus quidem multum diúque perfert iniurias ac calamitates. Iob patienter tulit amissionem bonorum, tulit etiam patienter amissionem liberorum: sed quum ad vlcera ventum est, non tulit ea tam æquo animo. Commendatur tamen toti posteritati eius hominis mira quædam patientia. At non renatus nihil perfert lubenti animo, si non possit iniurias vlcisci quum vult, retinet tamen apud se vlciscendi animum.

De abusu linguæ & cordis impuritate

5 Obseruandum, Dauid exarsit primùm deinde loquutus est. Iacobus in epistola sua cap. 3. v. 6. linguam vocat flammam, idem ait inflammatam à gehenna. En tibi hoc loco gehennam illam, quæ nihil est aliud quàm ignis malitiæ in corde quasi exardescens, & à Satana sufflatus, atque fotus. Vide igitur, nisi primùm sit in corde flamma, in lingua nō est flamma. Quod polluit hominem, ait Dominus, egreditur ex homine. dum igitur audis blasphemias istas, conuitia, & putres sermones, ne tam hæc imputa linguæ petulantiæ, quàm cordis impuritati: ex abundantia enim cordis o-

dis os loquitur. deteſtamur linguas hominum, ſed ſi impura illa ac fœda hominum corda, quæ ſolus Deus intuetur, inſpicere ſemel poſſemus, quantopere quæſo ab iis, toti abhorreremus? nihil enim eſt pio cuique magis deteſtabile, quàm eſt animus & cor hominis nõ regeniti per Spiritum ſanctum. Hactenus prima pars Pſalmi.

Fac vt experiar. Commemorat precationem, qua in defectione vſus eſt: cuius rurſus duæ ſunt partes. primò, expetit mortem: deinde petit liberationem à peccato & peccati pœna. In prima petitione, facilioris doctrinæ gratia, hæc diſtinguenda ſunt. 1. eſt ipſa petitio, prima parte verſ. 5. 2. eſt petitionis ratio, ſecunda parte eiuſdem verſus 3. eſt amplificatio, tertia parte eiuſdem verſiculi & ſequentis principio. 4. eſt acclamatio quædam, parte ſecunda, verſ. 6. & verſ. 7. Quòd ad petitionem, *fac* (inquit) *vt experiar finem meum.* potuit hoc comprehendiſſe verbo vno, fac vt moriar: ſed vſus eſt periphraſi, propter πάθος, ad tædium vitæ oſtendendum: quaſi dicat, Iam diu ego deſideraui vitæ finem, fac tandem vt eum experiar. Ratio deinde addita eſt, à vitæ huius breuitate, *Menſura*, inquit, *dierum meorum quid eſt?* quaſi dicat, nihil eſt. Tum perſiſtens in argumento, ac volens quaſi exactiùs de-

Petitionis quæ à narratione pendet, partes duæ.

Prioris partis membra.

finire tempus vitæ suæ, primùm, præfatur daturum se operam, vt videat atque cognoscat quàm sit durabilis. hinc definit tempus vitæ suæ, demonstrátque quasi Deo ipsius authori mensuram vitæ suæ. *Ecce*, (inquit,) *palmares disposuisti dies meos*: h. e. non lõgiores quàm sit mensura palmi. Pergit deinde in extenuatione dierum suorũ, *Tempus meum, nihil est*, inquit, *coram te*.

Dauidis præclarum epiphonema, perpetua hominum & seculorum experientia confirmatum.

Hactenus argumenti amplificatio: sequitur postremò epiphonema, siue acclamatio. *Profectò*, inquit, *omnimoda Vanitas omnis homo est*, ex sua ipsius experientia æstimat omniũ hominũ cõditionem, exclamátque omnẽ hominẽ omnimodã esse vanitatẽ: estque hoc primum epiphonematis membrũ Secundũ est, quo exclamat studia omnia, & curas omniũ hominũ vanas esse. *Profectò*, inquit, *Vanitas est omnis homo, quãtumuis constitutus*, i. firmus, & fixus in hac vita, prout Dauid superatis vndique hostibus, in celebri & potenti regno esse videbatur, cùm orta est ista coniuratio. hoc autẽ epiphonematis membrũ repetit. Nã in eundem sensum dicit, *Profectò per imaginem præterit quisque*: hoc est per speciem
1. Cor. 7. 31. quandam euanidam, & vt dicit Paulus per σχῆμα, siue figuram, quo verbo signi-
Psalm. 73. 20. ficatur, non res aliqua, sed vana quædam rei species. Idem iudicium prophetæ est
de im-

de improbo quocumque, quantumuis bene constitutus sibi videatur. Idem etiam est Apostoli iudicium de toto hoc præsenti mundo. *Præterit*, inquit, *figura huius mundi*: & hæc quidem de vtraque epiphonematis parte. *Profectò in vanũ perstrepunt*. Pronunciat eandem esse vanitatem studiorum humanorum, quæ est ipsorum hominum: quasi dicat, laborant, currunt, sudant frustrà: quod & ipse prior expertus est, qui posteaquam regnum, opesque tantas comparauit, tanto cum labore, vidit Abschalomum filium furere, & Mephibosetum credidit conaturum aliquid aduersus regnum, ac proinde incertus fuit vtrum successorem habiturus esset filium an alium quemquam.

1. Cor. 7. 31.

Locus, de ingenij humani recessibus varijs.

Obserua primùm: Dauid soluta iam lingua non statim in Abschalomum, non in Mephiboschetum, non in quemquam hominum inuectus est, sed ad Deum conuersus, aduersus ipsum obmurmurat. Eo enim sumus ingenio, & ea est natura affectuum nostrorũ, vt quàm primùm soluuntur, tum primùm in Deum præcipites ferantur. Id quod satis docent tragœdiæ illæ ab Ethnicis conscriptæ, vbi videtis tot miserorum hominum blasphemias, tot vociferationes & exclamationes patheticas: non tam in homines, quàm in Deos

illos quos sibi finxerunt. Ibi profectò imago quædam est corruptæ omnium hominũ naturæ, interim dum extrema quæque perpetiuntur: omnes enim per naturam, mala quæ nobis contingunt, miserias nostras Deo imputamus, non nobisipsis, non peccatis nostris. Non est tamen ista Dauidis obmurmuratio, neque illa Iobi impatientia, planè desperata, qualis solet esse hominum profanorum, & quos Deus omnino deserit Spiritu suo.

De vita breuitate tædio, vsu & abusu. Obserua deinde petitionis argumentum à breuitate vitæ colligit moriendum. vtile quidem est perpetuò cogitare de vitæ huius breuitate, neque obfirmare animum aduersus calamitates, quibus in hac vita voluntate Dei exercemur. Sic Iacob apud Pharaonem, ex sensu miseriæ huius
Gen.47. 9. vitæ, quæstus est, paucos & malos fuisse dies suos: verùm non inde colligendum est continuò, moriendum esse, neque præ impatientia expetenda mors est, id quod Dauid per infirmitatem carnis olim fe-
Rom.5.3. 4. cit. Paulus autem longè alium vsum ostendit oppressionis: Oppressio quidem efficit, non quidem impatientiam, sed patientiam, patientia experientiam: experientia spem. Vides igitur ex sensu calamitatum oportere sequi non impatientiam & desperationem, sed patientiam & spem. Ex

quo

quo rursus, colligis, quo pacto bonis argumentis abutatur corrupta hominis natura, ad malas conclusiones & petitiones. Est tamen hîc aliquis impatientiæ modus, retrahente scilicet hominem Spiritu Dei Sancto. Cato enim aliquis, eo loco constitutus, in quo tum Dauid, longiùs prouectus fuisset, neque modò mortem à Deo expetiuisset, sed ipse sibi mortem consciuisset. At Deus, suos nunquam prorsus deserit.

De corruptione iudicij humani in veritatis recta applicatione.

Tertiò, nota corruptam hominis naturam abuti optimis quibusque sententiis, qualis est ista, *omnem hominem esse omnimodam vanitatem*: neque enim satis vnquam ponderare cum animo possumus, quàm vani sumus naturâ. At, quæ est corruptio nostra, cuius exemplum in Dauide etiam homine regenito habemus, optima hac sententia ad pessimam conclusionem abutimur, ad impatientiam, ad desperationem, & ad obmurmurationem aduersus Deum. Idem Dauid, aut quisquis ille fuit, qui psalmum 73. conscripsit, longè meliorem ex huiusmodi sententia & vanitate hominum impiorum, conclusionem collegit, hanc nimirum, *Ego*, inquit, *iugiter futurus sum tecum*. Psalm. 73. 23.

De afflictionum vsu.

Quartò, Dauid afflictus experitur ipse suam vanitatem & miseriam: ex sua rur-

ſus miſeria, metitur communem omnium hominum miſeriam. Ex quo diſce, quis ſit afflictionum vſus. Ex afflictionibus eſt agnitio, non noſtræ ipſorum modò, ſed cõmuniter omnium hominum miſeriæ, quæ vſque adeò neceſſaria eſt, vt ſine ea nulla ſit liberationis ac felicitatis perceptio. Niſi enim agnoſcatur miſeria, liberationis ac felicitatis nullum eſt deſiderium: cuius liberationis, ſi nullum vnquam futurum ſit in vita deſiderium, profectò nulla vnquam futura eſt liberatio. Nam non niſi pulſantibus aperitur: neque niſi petentibus datur. Periculoſiſſima eſt iſta hominum conditio, qui perpetuò in vita inebriantur proſpero rerum omnium ſucceſſu, neque experiuntur vnquam defectus illos, ac miſeriam, quæ naturam noſtram comitantur.

8 *Sed iam quid expecto, Domine? ſpes mea in te eſt.*

9 *Ab omnibus defectionibus meis eripe me: probro ſtultis ne exponas me.*

10 *Obmuteſco, non aperio os meum: quia tu feciſti.*

11 *Remoue à me plagam tuam: à conflictu manus tuæ ego deficio.*

12 *Cùm in reprehenſionibus pro iniquitate caſtigares quempiam, diſſolueres ſicut tineam quod ineſt ei deſiderabile. Profectò, vanitas*

nitas est omnis homo. Sela.

13 *Audi orationem meam, Iehoua, & clamorem meum: aurem aduerte ad lachrymas meas, ne surdum agas: quia peregrinus sum coram te, inquilinus vt omnes maiores mei.*

14 *Desiste à me, vt recreem me: cùm nondum abeo, vt non ampliùs adsim.*

Sed iam quid. Secunda pars Psalmi, qua sese colligit, corrigítque illam, quæ aliquando fuit, aberrationem, quasi dicat: hæc hactenus de aberratione mea. *Iam verò domine, quid expecto?* hoc est, quæ est spes mea? Tum ipse respondet: *Spes mea in te est*. Proposita spe sua, concipit nouas preces lōgè alias ab illis quas se vsurpasse suprà commemorauit. In precibus vehemens est admodum: ter enim idem petit. Tria autem sunt petitionis ter repetitæ argumenta: deinde subiicitur conclusio. Primùm petit his verbis, *ab omnibus defectionibus meis eripe me, ne exponas me probro stultis*, hoc est iis qui ratione abutuntur ad stultitiam, & infamiam: id quod faciunt omnes homines: donec per Spiritum Dei Sanctum reuocentur. *Obmutesco*. Primæ petitionis argumentum, à resipiscentia sua & confessione: quasi dicat, agnosco te iustum authorem castigationis huius meæ, & iudiciis tuis acquiesco.

Altera pars psalmi, querimonia prioris piã correctionẽ continens, & humilem ac patheticam petitionem.

Petitionis argumenta.

Ps. 14. 1.

Petitionis repetitio & expositio.

Remoue à me plagam. Petitionem suam repetit, præsertim eius partem posteriorem. Nam probrum illud quod dixit, nunc *plagam* nominat ac interpretatur. *A conflictu.* alterum repetitæ petitionis argumentum, ab imbecillitate sua. *Cùm in reprehensionibus.* Argumenti amplificatio à communi hominum omnium sorte, quorum nullus, si cum grauitate iudicij diuini seipsum comparabit, eam firmitatem habet, qua perferre possit: sed contrà, est inanissimus. De hoc argumento vide in Iobo multa. *Pro iniquitate,* hoc est, si secundùm meritum suum castigares quemquam, dissolueres eum, sicut tineam, quæ

Iob.4.19. solo tactu teritur. Tum, considerans communem hanc sortem & imbecillitatem hominum, qua ne minimum quidem ex Dei iudiciis perferre possint, exclamat vt suprà vers. 6. profectò, vanitas est omnis homo. *Audi orationem meam.* Tertiò, repetit eandem petitionem magna cum animi vehementia. Cõmendat autem Deo, primùm, preces ipsas. Deinde, clamorem in fundendis precibus. Tertiò, lachrymas clamori adiunctas. neque enim eiusmodi circumstantiæ, vt clamor in precibus & lachrymæ, frustrà accedũt ac preces. Quin Deo sunt curæ, qui vnamquanque lachrymam suorum, vt alibi loquitur Dauid, in

vtre

vtre ſuo recondit, & in numerato quaſi habet,

Quia peregrinus ſum coram. Tertia ratio eſt petitionis tertio loco repetitæ, ab huius vitæ breuitate: quaſi dicat. Quandoquidem, prout eſt ſors communis omnium mortalium, non poſſum diu in præſenti vita ſubſiſtere, & peregrinari à Domino, proinde tibi miſericordiam exercendi erga me miſerum peregrinum oblata eſt occaſio. Ita alibi loquuntur fideles. Sic accipiendum eſſe oſtendit finis verſus ſequentis: *Deſiſte à me.* Concluſio eſt, quaſi dicat. Ergo abſtine à me grauiùs & diutiùs affligendo, vt recreem me antequam moriar, in vitam hanc non reuerſurus. Ita Iobus diſſerit, & ad Deum ſupplex cõuertitur. *Quin nondum habeo*, hæc verba præſentis vitæ breuitatem ſignificãt: quaſi dicat, dum breuis adeſt lux iſta, vel, dum fruor breui hac luce. Idem autem eſt re argumentum cum illo, quod fuit in fine verſus ſuperioris.

Pathetica petitio.

1.Chron. 29.15. Pſ. 119. 19.

Iob. 10. 21.&c.

Ex his quæ diximus, obſerua in Dauide, primùm, inſignem quandam mutationem, & preces, valde inter ſe diſcrepantes. Antea quidem precatus eſt animo perturbato, nunc verò precatur animo magis ſedato ac compoſito. Aliquando enim, in fidelium precibus, dominium eſt

De varijs piorum, in calamitate conſtitutorum, cogitationibus.

aliquoties carnis magis quàm Spiritus: Aliquando verò dominiũ eſt Spiritus magis quàm carnis. Habes etiá in hac mutatione documentũ finalis victoriæ Spiritus Sãcti. Nã etſi in præſenti vita videatur ſæpè carnis eſſe victoria, tamen hoc ipſo, quòd poſt carnis motum, excitet in nobis Deus Spiritus Sãcti operationẽ eã, q̃ carnis motũ quaſi abſorbet, admonemur fore tãdẽ vt Spiritus plena perfectáq; victoria ſit

Calamitatum diuerſus & oppoſitus effectus.

Vide præterea, quàm diuerſus, imo verò quàm ſibi cõtrarius ſit calamitatũ in Dauide effectus. Ná cũ antea calamitates cũ ad obmurmurationẽ impulerint, nunc earundẽ ſenſus ad agnitionẽ peccati, & deprecationẽ pœnæ, eundẽ prouocát. Nam, quæ eſt natura noſtrũ omniũ, ſi quádo rebus aduerſis premimur, tũ præſentis vitæ tædio capimur, & mortẽ inclamamus. Verùm hîc monemur potiùs vt peccatorũ remiſſioné petamus, & cũ Deo recõciliationẽ per Chriſtũ Ieſum, quàm mortẽ: cũ ne morte quidẽ finiẽda ſit calamitas, verùm multis partibus auctior futura ſit, ſi non fuerit reconciliatio per Ieſum Chriſtum.

Quid breuitatis vitæ conſideratio in Viris piis efficere debeat.

Obſerua deniq; quá variè concludat ex eodẽ argumẽto à breuitate huius vitæ ſumpto. Suprà.n. quia breuis eſt vita, expetiuit mortẽ. Nũc verò q̃a breuis eſt vita, deprecatur plagá. Rectè vtitur Spiritus argumẽto

eo quo

eo quo caro abutitur, & conclusiones ac petitiones sanctas ex iisdem principiis, ac fundamentis elicit: ex quibus caro haurit quasi venenum. Contrariam hanc ratiocinandi ac concludendi rationem, ex iisdem principiis, sæpe regeniti homines in sese sentiunt. Atque eò felices sunt, quòd postea quàm ex bonis principiis mala cõcluserunt, ex iisdem vicissim bona concludunt, Spiritu nimirum carnem superante: cùm impij & nõ regeniti, perpetuò, si quãdo cõtingat videre bona principia, ex ipsis falsas & impias conclusiones eliciant: dicitur enim, quòd impij Deum cognoscentes, tamen non vt Deum glorificauerunt, sed Rom. 1.
vani facti sunt in cogitationibus suis. 21.
Deo, in Christo Iesu, sit omnis gloria. Amen.



PSALMVS XLII.

Argumentum.

Ode est didascalica, vt ex inscriptione liquet. Continet autem querimoniam Dauidis, quòd exularet ab aspectabili Dei præsentia, quæ fuit Hierosolymis.

Psalmi partes sunt quat. 1. est querimonia ad 6. v. 2. est consolatio, vers. 6. ad alteram partem 7. vers. 3. est gloriatio quædam aduersus exilij sui incommoda omnia, denique aduersus omnes afflictiones, aduersum vltimum. 4. Postrema parte psalmi redit ad consolationem animæ deiectæ.

1 *Magistro symphoniæ, in posteris Korachi, Ode didascalica.*


2 *Sicut ceruus glocitat ad alaeos aquarũ, sic anima mea glocitat ad te, Deus.*

3 *Sitiens est anima mea Dei, Dei fortis viuentis, dicens: quando accedam, vt appaream in conspectu Dei.*

4 *Sunt mihi lachrymæ meæ cibo interdiu & noctu, dum dicitur ad me quotidie, vbi est Deus tuus?*

5 *Hæc recordãs effundo in me animam meã: me solitum esse transire in turba, gradiri cum illis vsque ad domum Dei, cum voce cantus & laudationis, multitudine feriante.*

Prima pars, duos affectus Dauidis exprimẽs.



ICVT *ceruus*. In hac prima odes parte, & querimonia sua, aperit Dauid affectus duos grauissimos: Priorem quidem, vehemens desiderium aspectabilis præsentiæ Dei, quæ tunc temporis Hierosolymis fuit: Posteriorem, ingentem animi dolorem, cum desiderio coniunctum. Desiderium primum comparatè proponitur, facta cũ Ceruo glocitante comparatione, *Non magis*, inquit, *glocitat Ceruus ad alueos aquarum, quàm ego glocito ad te, Deus*. Ceruus tum omni tẽpore confugere ad aquas dicitur cùm anhelus est, tum maximè ineunte Autumno, quo tempore, propter æstum, est sitis impatientissimus.

Prior affectus, per comparationem expressus.

Cerui natura.

simus. Ita naturâ sumus omnes siticulosi atque aridi: & cùm eius sitis ac ariditatis sensus est, tum non minori desiderio ferimur ad Christũ, in quo vno refrigeriũ habemus, quàm ceruus glocitat, hoc est exclamans accurrit ad aquas, quibus sitim suá restinguat. Deinde est propositio simplex illius desiderij: *Sitiens est anima mea Dei*, inquit. Naturâ omnes homines, vt iã dixi, aridi sunt & sicci, adusti nimirũ ardore illo peccati & iræ Dei. Verùm, pauci admodum sentiunt ariditatẽ suam, quo fit, vt pauci sensu vel siti gratiæ moueãtur. Neq; enim quisquam pertingitur gratiæ diuinæ siti, nisi eam primũ Deus Spiritu suo prouocauerit, per legis præsertim prædicationẽ. Iam verò, vbi semel prouocata est, nisi succedat noua gratia, qua continuò deducantur sitibundi ad purũ illum aquæ viuæ fontem, Iesum Christũ, statim paludes sibi quæsituri sunt, & pro aqua pura ac viua, imbibituri sunt putidam ac fœtidam, pro merito Christi solo ac sanguine ipsius, haurient merita hominum, & eiusmodi venena, quæ propinant hodierno die Papistæ miseris hominibus. Quamobrem Christus apud Ioannem, quo tempore in terris commoratus est cum Iudæis, alta voce & clamore sitientes ad se vocauit: & hodierno die tota ista Euange-

Comparationis accommodatio.

Ceruis filiq; Adami seriores, & brutis magis.

De aquis salutaribus & venenatis animarum.

Fons aquæ salutaris animarum, Christus.

lij prædicatio, non aliò pertinet, quàm vt digito quasi demonstretur, vnicus ille vitæ fons Iesus Christus.

De potatione aquæ vitæ, tum in vita præsenti, tum in futura.

Posteaquàm iam ad Christum deducti sunt homines, bibunt, ac bibunt in æternum: imbibunt illam gratiam, quæ in ipso est, & accipiunt omnes ex eius plenitudine: nunquam enim exhauritur fons ille vitæ, neque vnquam exarescit Christi sanguis. verùm, non sine discrimine aliquo bibimus in hac vita, & in futura. Nam in hac vita (vt sic dicam) pitissamus tantùm, at in altera, copiosè & vbertim potabimus illam vitæ aquam. bibemus igitur in æternum, & bibemus sine fastidio & nausea, vt enim exhauriri nullo vnquam tempore potest illa aqua, quæ est eius copia, & vbertas: ita ea est suauitate ac dulcedine, vt bibentes ad bibendum perpetuò alliciat atque prouocet. Nulla est hîc voluptas, quæ non assiduitate sui fastidium pariat. Cælestis illa voluptas, nullo vnquam tempore sui fastidium parit.

De fastidio spirituali.

Fastidimus nonnunquam, fateor, exercitia ista pietatis, vt verbis prædicationem & auditionem, preces, aliáque huiusmodi. At verò hoc non est imputandum aquæ, sed corruptioni nostræ. Latet enim etiamnum in corde cuiúsque nostrûm, nonnihil fellis amaritudi-

ritudinis, qua ita inficitur animus noster, & eius quasi palatum corrumpitur, vt quæ sua natura suauissima sunt, nonnunquam amara videantur: id quod vel eo constat, quòd in altera vita, quum omnino deposuerimus istam naturæ corruptionem, nullum omnino futurum sit fastidium.

Præter hoc discrimen, quod diximus, est & aliud quo bibimus in hac vita & bibemus in altera. In altera illa vita bibemus immediatè, hoc est, nullo interueniente instrumento medio, vel verbi prædicati, vel Sacramenti administrati, videbimus Deum sicuti est. at verò in hac vita, opus est his mediis, tanquam canalibus, per quos deriuetur in nos illa ex Christo aqua gratiæ. Atque id est quod dicit Apostolus, cernimus nunc per speculum & per ænigma: tunc autem coràm cernemus. Hinc autem fit, vt, quandiu hîc viuitur, quemadmodum est desiderium ipsius aquæ viuæ, ita quoque sit desiderium mediorum per quæ hauriamus eam aquam: sit inquam desiderium externi huius ministerij. Atque hoc fuit desiderium illud Dauidis, quod exposuit in psalmo isto.

Aliud discrimen potationis aquæ vitæ in præsenti & futura vita.

1. Cor. 13. 12.

Sed quæres, annon Dauid sine externo illo ministerio Deum vbicunq; locorũ cõtigit eum agere, Annon inquã Deum præ-

Cur Dauid externum ministerium Ecclesiæ tantifecerit.

ſentē habuit? Reſpondeo, habuiſſe eum vbiq; locorū aliquo certè modo præſentem Deum: verùm non percepiſſe præſentiæ ipſius tam vberē fructū, cùm peregrè ageret à templo Dei, quàm cōſueuit percipere in viſibili Dei Eccleſia, & in tēplo illo, quod tunc temporis peculiariter promiſſionem habuit diuinæ præſentiæ. Id etiam pij omnes in ſe ſentiunt, non tam vberem ſe fructum ex Deo percipere, ſine Verbo prædicato: ſine Sacramētis adminiſtratis, quàm cùm his alioqui ſolent percipere. Nec enim fruſtrà à Deo ordinata ſunt ordinaria iſta media.

Miniſterij Eccleſiaſtici præſtantia & vtilitas ſumma.

Dei fortis. hæc ſunt fundamenta & cauſę huius tanti deſiderij. Perceperat Dauid ex viſibili illa Dei præſentia: ipſius per Chriſtum potentiam, expertus quoque fuerat in ipſo, per eundē Chriſtū vitam æternam. Hinc illud deſiderium ipſius percipiendi ex Deo præſente & certo quodam modo viſibili in Eccleſia ſua, percipiendi, inquam, conſuetam illam Dei potentiam, bonitatem, vitam denique in Chriſto Ieſu. Nam qui ſemel iſta quæ in Deo ſunt delibauit, & (vt cum Petro loquar) guſtaui quàm benignus ſit Dominus, perpetuò eum ſibi præſentem optat, expetítque ſincerum illud lac ſermonis ipſius, id quod & ipſe Petrus ſuo exemplo conte-

Deſiderij Dauidis cauſa & fundamenta.

1. Petr. 2. 3.

Simile documentum & exemplum in Petro.

contestatum reliquit, qui aliquando respondit Domino, se non discessurum à latere ipsius; *Domine*, inquit, *ad quem adibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. 68.

Dicens, quando. hîc exponit anima Dauidis sitim suam. Introducitur autem per prosopopeiã ipsa loquens, ac Deum compellans. Nam inter querendum ac lamentandum, non os tantùm corporis, sed & anima in conspectum Dei proferenda est. Sensus est, quasi dicat, an nunquam hoc futurum est, vt accedam ad Deum & appareã in conspectu eius? Qui destituuntur solita Dei præsentia, ac vita illa quæ est ex sola ipsius præsentia, ideóque nihil nisi mortis terrores sentiunt, videntur illi quidem sibi ex morte illa nunquam emersuri, hic, inquam, sensus est quem natura dictat. Et qui alioqui pij sunt, cùm videntur sibi à Deo destituti esse, naturæ instinctu nonnunquam reguntur. Vide Psalm. 13. v. 2. An obliuisceris mei in æternum? *Vehementia eiusdem desiderij.*

Sunt mihi lachrymæ. Hactenus fuit desiderij affectus: nunc affectum doloris sui exerit vehementem. Bis enim exerit eum, semel hoc versu, iterum sequenti. hoc itaque versu ait, *Sunt mihi lachrymæ.* Quo oblectamur maximè, id cibum vocat Scriptura: vnde Christus apud Ioannem, Esca mea est exequi voluntatem *Doloris pij vehemens affectus.* *Cibus, quid significet.* Ioan. 4. 34.

eius qui misit me, hoc est id quo delector maximè. Ita lachrymæ dicuntur cibus hoc loco, quia qui in mærore est, lachrymis oblectatur, & eos auidè imbibit vt liquorē aliquē dulcissimum. oblectatio enim quædā naturalis in omni affectu est, quum sibi permittitur affectus. etiā in doloris affectu, est oblectatio, quamuis in eo non sit solidum gaudium. verùm si Spiritus Dei hæc suspiria, has lachrymas excitauerit, iam aliud gaudium est, ac illud quidem solidum, cum ipsis lachrymis coniunctum: & vnà cum inenarrabilibus suspiriis, de quibus Paulus Rom. 8. est gaudium ineffabile ac gloriosum, quod vocat Petrus 1. epist. 1. simulque cum lachrymis illis imbibitur aqua gratiæ & vitæ. Neque verò in hac vita, vt dicam quod sentio, solidum est gaudium Christiani hominis, nisi tum cùm inter gaudendum effundit lachrymas, suspirat, dolet. In altera autem vita, abstergentur ab oculis omnes lachrymæ, vt Ioannes ait, & sincerum purúmque erit gaudium in omnem æternitatem.

Gaudium in fletu quale sit.

De gaudio piorum.

Apocal. 21. 4.

Doloris pÿ causa.

Dum dicitur, causam doloris sui adiungit, amarulentam illam inimicorum irrisionem, qui quotidiè obiecerunt, probri loco, *Vbi est Deus tuus?* Satis quidem magna doloris materia erat in eo, quòd destitueretur Dei visibili illa in Ecclesia sua præsen-

præſentia: verùm ideo dolor dolori additus eſt, quòd per ludibrium obiectum eſt ab inimicis, ipſum à Deo derelictum eſſe. Non eſt iſtud nouum perſequutoribus proſtratæ Eccleſiæ, aut etiam eius alicui membro ſic inſultare. vide Pſal. 137. in quo dicitur ab Eccleſia, *ad flumina Babyloniæ fleuimus ſedentes*: at, quid Babylonij in illo fletu? *petiuerunt*, inquit, per irriſionem *cantiones lætas*, quales cecinimus Hieroſolymis. Id nos quoque experiemur, ſi iuſto Dei iudicio futurum ſit vnquam, vt priuemur iſta Dei in Euangelio ſuo præſentia: cuius quidem mali cogitatio nunc videtur leuior. At verò, poſteaquam iuſto Dei iudicio euenerit, tum quidem reipſa experiemur, quàm grauis ſit. de iis præſertim loquor, qui aliquando præſentia Dei in verbo ſuo delectati ſunt.

Impiorum ingenium.

Hæc recordans. Rurſus proponit dolorem ſuum, ſimúlque argumentum doloris nouum coniungit. *Effundo*, inquit, *in me animam meam*: quaſi dicat, non tantùm effundo lachrymas, ſed & ipſam animam effundo, quæ intra me dolore quaſi liqueſcit. Solutio animæ, & affectus ipſius interior, in cauſa eſt quòd corpus & oculi in lachrymas reſoluantur. Sæpenumero autem ne oculi quidem noſtri mœrori animæ lachrymas ſufficere poſſunt, quin ef-

Nouum doloris argumentũ.

funditur in nobis anima, posteaquam iam effusæ sunt omnes lachrymæ, & corpus quasi exaruit. Tam vehemens solet esse doloris affectus, cùm sibi ipse permittitur. Causam addit tanti doloris, *Hæc recordans*, inquit, nempe quæ sequuntur, me solitum esse transire in turba dicet, Vti recordatio miseriæ pristinæ post liberationem cum gaudio coniuncta est (Neque enim vnquam solidè gauisus est is, qui non priùs seriò doluit) ita recordatio felicitatis pristinæ, posteaquam quis, ex felice miser factus est, cum dolore animi coniuncta est. Hoc, cùm in rebus quibuscunque aliis vsuuenit, in spiritualibus ac cœlestibus, imprimis locum habet. Nam ei, qui Deum in Christo aliquoties præsentem habuit, intolerabile videtur, si aliquando ea præsentia destituatur: præsertim si externa aliqua calamitas interea ingruat. At verò si interea cum recordatione præsentiæ pristinæ, simul & dolore, sit desiderium eius præsentiæ, profectò, iam cum dolore est aliqua lætitia coniuncta. Beati enim qui esuriunt ac sitiunt iustitiã: nam ipsi saturabuntur, fitque illis pristina Dei benignitas, cuius recordantur, argumentum fiduciæ diuinæ præsentię in posterum restituendæ. Notãdum præterea hoc loco est, quòd vbi semel subducta est Dei præsentia, omnia

Causa huius doloris.

Maximus dolor, quis.

Subducta Dei præsentia gratiosa effectus.

nia occurrant nobis triſtia, & aduerſa: vt ſunt ſannæ inimicorũ, & recordatio felicitatis præteritæ.

6 *Quid deiicis te, anima mea, & perſtrepis in me? ſpera in Deo, nam adhuc celebraturus ſum eum, & ſalutem omnimodam faciei eius.*

7 *Deus mi, in me anima mea deiicit ſe.*

Quid deiicis. In ſecunda hac parte pſalmi, repentè quaſi è dolore emergit, ſéque colligit: alloquitur autem, per apoſtrophē, primùm animam ſuam: Deinde Deum, omnem conſolationis fontem. Animam autem ſuam ex inferis quaſi reuocat. Nam deiecta admodum fuit, vt ipſa verba præ ſe ferunt. Ea enim eſt piorum conſuetudo, vt poſteaquam ad tempus indulſerunt dolori, & dixerunt quaſi animæ ſuæ, *Ne recipe conſolationem, ſed dolorem, tanquã aquam imbibe.* (Nam in dolore & triſtitia ad tempus eſt piorum oblectatio) Poſteaquam ſatis ſupérque indulſerunt dolori, iámque prorſus deiecti ſunt, ac conſternati, repentè Dei gratia, & Spiritũ ſancti quodã motu, qui nunquam eos planè deſerit, ſeſe erigant, atque animant. Hoc autem ordine id faciunt: primùm, quod fecit hîc Dauid, reprehendunt ac corrigunt animum ſuum, atque affectum, non ſecus ac mater infantem ſuum, rationis vſum nondum haben-

Pſalmi pars altera, in qua fidei vis elucet.

Quo modo & ordine pij ex ærumnis & tentationibus grauiſſimis ſuis eriguntur.

tem, quo tempore in lachrymas totus effusus est. Deinde post reprehensionem animam suam consolatur, ac hortatur ad spem in Deum, eodem planè modo, quo matres post imprecationem consolantur infantes suos. Notandum quòd Dauid animam suam ad spem erigat. Nam sperare in Deo vnicum est aduersus desperationem remedium. Spes enim desperationi contraria est, & quicunque deiecto sunt animo, si interea nulla spe subleuentur, in desperationem abeunt, tandémque pereunt. Vnde desperatus fuit ille dolor Ethnicorum, qui fuit sine fide, sine spe, sine Christo: & hodierno quoque die, quotquot, sine Christo, in dolore illo mortis positi sunt, in desperatione necesse est moriantur.

Spes gratitudinis in Dauide.

Nam adhuc. Spem animæ suæ facit, ex eo quòd non frustrabitur ipsa re sperata: verùm sicut sperat, ita ipsi futurum est. *Celebraturus sum*, inquit, *eum, & omnimodam salutem faciei eius:* hoc est, faciem eius in qua est satietas gaudiorum, vel salutem multiplicem illam, quæ est in facie & præsentia eius: atque ita celebrare, erit prædicare. Promittit itaque Dauid prædicaturum se, tum Deum ipsum, tum vitæ suæ tantum illud beneficium ab eo acceptum. Vel denique celebrare salutem faciei eius, est ce-

eſt, celebrare ac prædicare ſalutem quæ coram ipſo erit, vnde vltimo verſu dicit celebraturum ſe ſalutem faciei ipſius, hoc eſt, ſalutem quæ coràm cernetur. *Deus mi.* vt priùs ſe conuertit ad animam ſuam, ita nũc ad Deum ſuum, oculos ſuos attollit, atque ad eum quaſi ſuſpirat, exponens ipſi dolorem animæ ſuæ, & curam ac ſollicitudinem ſuam in eius ſinum effundens.

Quiſquis Dei Spiritu Sancto imbutus eſt, is in afflictione & in dolore ſuo ſuſpirat ad Deum: qui verò humano duntaxat Spiritu præditus eſt, is nunquam ad Deum ſuſpirat. Deum enim iratum ſibi eſſe arbitratur, præſertim tum cùm miſeria aliqua eſt. Ab ira enim Dei, totam miſeriam ſuam profectam eſſe autumat. At verò qui Spiritum Dei habet, Spiritum inquam illum adoptionis, per quem clamamus Abba, pater, is ad Deum ſuum intrepidè accedit, quia nimirum Spiritus ille perpetuò eſt cum ſenſu miſericordiæ aliquo ac dilectionis paternæ. Quamobrem, vt filius, qui patrem habet ſibi beneuolum, in dolore ſuo, rectà ad patrem ſuum ſe confert: Ita Dei filius, ad patrem ſuum Deum, in dolore ac miſeria ſua, profici-

Suſpiria pia ad Deũ, certa veræ fidei teſtimonia.

ſcitur,& apud eum conqueritur.

7 *Propterea recordor tui è terra Iardenis, & Chermonitarum,è monte exiguo.*

8 *Vtcunque abyſſus abyſſum inclamet ad ſonum emiſſariorum tuorum,omnes irrumpentes fluctus tui, & vndæ tuæ ſuper me tranſeant.*

8 *Interdiu mandaturus eſt Iehoua benignitatem ſuam, & noctu canticum ſuum ad me: oratione mea ad Deũ fortẽ vitæ meæ perſtabo.*

10 *Dicens Deo forti, petra mea,quare obliuiſceris mei?quare atratus incedo propter oppreſſionem inimici?*

11 *Sica inuadunt oſſa mea,probro afficientes me hoſtes mei:dum dicunt ad me quotidie,vbi eſt Deus tuus?*

Sancta Dauidis gloriatio ſub cruce.

Propterea. Derepente deinde gloriatur, primùm, aduerſus loca exilij ſui quæcunque,deinde,aduerſus afflictiones quaſque grauiſſimas.Particula hæc, *propterea* non videtur rationem reddere ſententiæ alicuius in textu antegreſſæ. Quare ex abrupto, & ex ſubito quodam ſenſu gaudij, atque præſentię diuinæ (vt mihi videtur,) exorſus eſt hanc ſententiam: quaſi dixiſſet, propter gaudium illud, animíque lætitiam illam, quam percipio ex Deo meo, recordor tui,&c.Ex quo illud diſcis,quàm citò qui ſe ad Deum conuertit: immutari ſoleat:adeò enim efficax eſt Dei præſentia

Mira piorum immutatio.

ad

ad creaturæ vitam impertiendum, vt non priùs illuceat eius facies, quàm reuiuiscat creatura, quantumuis etiam mortua. Cùm de creaturis his stupidis & brutis Psalmus loquitur, *abscondente*, inquit, *te, faciem tuam, conturbantur: recipiente Spiritum eorum exspirant, & in puluerem suum reuertuntur: emittente rursus Spiritum tuum recreantur: denique renouas faciem terræ.* Quantò magis creaturæ rationales, quas vocamus, neque rationales modò, sed spirituales, hoc est, regenitæ Dei Spiritu, quæ gustarunt semel quàm benignus sit Dominus, creaturæ inquam, hæ à Deo suo pendent! Oportet enim, vel multo magis, vitam mortémque earum, ab eius facie præsente, & absente, dependere. *Attolle*, inquit Dauid, *super nos lucem faciei tuæ, Iehoua, & indideris lætitiam animo meo maiorem, quàm temporis, quo frumentum, & mustum eorum, aucta sunt.* De his igitur loquor maximè, qui diuino, aspectui iam assuefacti sũt, atque ex eius vultu voluptatem aliquam capere sunt soliti. Nam, de aliis vt dicam, faciem illam Dei in Christo non possunt, expetere. Ignoti enim nulla cupido est. Illi autem nondum gustarunt quàm iucundus ille Dei in Christo aspectus sit.

Psa. 104. 29.

Ps. 4.7.8.

Fidei Dauidis testimoniũ.

Recordor tui, quasi dicat: Recordor tui ex omni loco in quo contingit me exula-

re, ex omnibus terminis ac limitibus Israëlis: Ab oriente vbi Iarden fluuius, ab Aquilone, qua definitur Chermone monte, & Libano: & à Meridie, qua Montana Iudæam terminant. Montana hæc exigui montis nomine vocantur, quia comparata cum Libano monte, & cum Chermone, quæ ad Aquilonem sunt, in exiguis tantùm collibus numerantur. Ex hoc loco vides, nullum esse locum, siue exilii, siue carceris, in sese tam inamœnum, tam tetrum, qui possit separare filios Dei à conspectu Dei sui: imò gloriari eos in Dei illa quam habent præsentia, aduersus locum quemcunq;. Locus enim in quo vitam hanc agimus qualiscunque, nihil quidem est: Dei verò præsentia omnia est. Notãdum est *Recordationis* verbum, quo vtitur. Erat enim profectò ea recordatio potiùs diuinæ præsentiæ, quàm præsentia ipsa, quæ tum fuit extra vrbem Hierosolymorum: in qua tunc temporis erat visibilis illa Dei præsentia. Ita habet res, cùm exulamus nos ab externo hoc ministerio Dei in Ecclesia sua, in quo Deum nostrũ præsentem vel maximè habemus: tum quidem profectò non tam dicimur Deum præsentem habere, quàm præsentiæ ipsius, quæ aliquando fuit, recordari. Est autem recordatio ista, fateor, iucunda, suauis,

Non propriè exul est, neque solus, quẽ Christus comitatur & regit.

Ministerij externi dignitas.

suauis, & grata: non vacat tamen dolore aliquo suo ac mœrore, adeóque in ea est materia doloris quædam, vt vidimus suprà vers. 5. *Hæc recordans*, inquit, *effundo in me animam meam.* Dicam aliquid amplius: præsentia etiam ista Dei, quæ est in ministerio verbi ipsius, habet coniunctum dolorem suum aliquem, quia sub spe est. Spes quidem, fateor, est cum gaudio ac gloriatione. Vnde Apostolus, gloriationis spei meminit. Et alibi, *Gloriamur*, inquit, *sub spe gloriæ Dei.* Tamen illa spes est cum dolore ac suspiriis coniuncta. *Suspiramus*, inquit, *exspectantes adoptionem nostram*, hoc est, Redemptionem corporis nostri.

Præsentia Dei in ministerio, qualis. Hebr. 3. 6. Rom. 5. 2. Rom. 8. 13.

Vtcunque abyssus. Vt suprà gloriatus est aduersus exilij sui loca quæcunque: ita nūc gloriatur aduersus afflictiones, quantumuis etiam graues. *Vt cunque*, inquit, *abyssus abyssum inclamet*, *&c.* id est, quantumuis graues existant calamitates, tanquam aquæ in me irrumpentes: tamen, *interdiu mandaturus est Iehoua benignitatem suam, &c.* Vides nullam esse afflictionem, quantumuis grauem, quæ separet fideles à præsentia Dei sui, vel à sensu misericordiæ eius: imò verò gloriantur in grauissimis quibusque afflictionibus. Quis separabit nos, inquit Paulus, à charitate Dei, num oppressio, num angustia? Notandum

Gloriatio Dauidis aduersus afflictiones.

Et Apostoli Pauli. Rom. 8. 35.

deinde, quòd fluctus & vndas irrumpentes, item emissaria illa quæ vocat, Dei esse dicat: quasi hæc à Deo sint omnia. Agnoscit igitur omnes afflictiones suas ab authore Deo proficisci: at vnde venturam sibi consolationem in afflictionibus pollicetur? An non ait versu 9. *Interdiu mandaturus est Iehoua benignitatem suam*? Ergo afflictio, & in afflictione consolatio pariter à Deo est vtrumque: vnà cum afflictione mittit consolationem: vnà cum tentatione mittit euasionem. Ordinis tamen discrimen est aliquod: priùs quidem affligit, quàm consoletur: prior est afflictionis sensus, quàm consolationis. Quorsum id? nimirum quia nos natura vsque adeò hæbetes sumus & ἀναισθητοὶ in hac vita, vt gratiam Dei in Christo, quanta sit, æstimare non possumus, neque quàm suauis sit iudicare, nisi senserimus priùs, quàm miseri ipsi nos simus per naturam, & sub peccati onere suspiremus, In miseria autem suauis est sensus gratiæ, ac præsentiæ illius Dei in Christo. Post hanc vitam verò piorum solidum erit gaudium, expers planè sensus omnis doloris: cùm nimirùm absteigentur omnes lachrymæ ab oculis nostris: tum enim puri synceríque gaudij illius, quod nondum in hac vita possumus capere, futuri sumus capaces.

Vt afflictiones, ita & consolationes à Deo.

1. Cor. 10.13.

Quo ordine.

Oratione

Oratione mea. Hoc effectum est superiorum: quia enim Deus interdiu mandaturus est benignitatem suam & noctu canticum suum ad Dauidem: ideo ipse perstiturus est in precibus suis ad Deum. *Benignitatis, & præsentiæ diuinæ effectum.* Neque enim potest aliquis preces concipere, nisi Deus earum materiam suppeditet, atque imbuat nos sensu misericordiæ suæ. Domine, inquit, Psal. 51. 17. Labia mea aperias, & os meum annuntiabit laudem tuam. Deum vocat *fortem vitæ suæ.* Qua quidem appellatione, arguit se apprehendisse potentiam illam Dei in Christo, quæ est ad vitam. Sed videamus nunc ipsam orationis formulam, *Dico,* inquit, *Deo forti petræ meæ..* Hoc est, profugij mei, &c. Oratio hæc Dauidis est lamentatio & querimonia quædam. Nota igitur cuiusmodi Canticum in afflictionib. ministret Deus, nempe querulum & lamentabile. *Canticū piorum in afflictionib. quale sit.* Atque ita quidem oportet fieri: quorsum enim lætæ cantiones in miseriis? Vide Psal. 137. In quo lætas illas cantiones quales canebat olim Hierosolymis Ecclesia, in exilio iam agens accusatur. Verùm, mœstitia ista & lamentatio temperatur perpetuò suauitate quadam, atque lætitia in Deo: *Suauis mixtura.* quóque altiora sunt suspiria, eò profundius esse solet gaudium. Sed consideremus verba. *Quare,* inquit, *obliuisceris mei.* Primùm

queritur, quòd Deus ipsius obliuiscatur. Deinde queritur de miseria sua. hoc quidem posterius, prioris illius effectum est. Nam quum Deus nostri obliuiscitur, iam miseri sumus: atrati, quasi incedimus, & cum Deo expostulamus. Interea autem, dum queritur Dauid, oblitum sui Dominum, compellat eum *Deum fortem petræ suæ.* Quo significatur, eum interea Deo suo mordicus adhærere. Fideles sic Deum suum amore complectuntur, vt licèt nonnunquam eorum obliuisci ipse videatur: tamen adhærere illi non desinunt, Etiamsi, inquit Iobus, enecares me, annon sperarem? Quod quidem argumento est, re-ipsa Deum eorum non obliuisci, quamuis ipsis ad tempus ita videatur. Quòd si enim semel Deus nostri obliuisceretur, nósque planè desereret, profectò & nos quoque eum desereremus: nisi enim ipse prior nos apprehenderet, profectò nos eum apprehendere, quasi manu nostra, nō possemus. Verùm ita videtur nobis, dum affligimur, nos ab eo deseri, neque iam ampliùs ei curæ esse.

Afflictio pios ad Deum ducit.

Exemplū in Iobo, ca. 13. v. 15.

Quare atratus. Queritur de miseria sua, quam quidem ex adiuncto corporis sui habitu significat. *Propter oppressionem.* Causam miseriæ suæ innuit, ac tristis illius habitus: nimirum, oppressionem inimici.

Miseriæ humanæ discriptio & causa.

Sic&

Sica inuadunt. Specialiùs deinde oppreſ-ſionem hanc exprimit his verbis. *Sica inuadunt oſſa mea*: tum allegoriam illam exponit, *probro*, inquit, *afficientes me hoſtes mei*: cuius deinde rationem reddit ex verbis ipſorum contumelioſis ſimul ac blaſphemis *dum dicunt*, inquiens, *ad me quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Hæc quidem eſt in Deum blaſphemia, quæ in Dauidem probrum & contumelia eſt. Blaſphemia enim in Deum eſt proximi opprobrium: eáque non ſecus afficiuntur ipſi, ac ſi gladio perfoderentur. Nam ea eſt Dei ac ſuorum coniunctio mutua, ea ſympathia, & mutuus ſenſus, vt ſi videant Deũ aliqua ignominia affici, & nomen eius blaſphemari, non ſecus commoueantur pij, atque ſi lethale aliquod vulnus ipſis infligatur. Contrà verò, ita afficitur Deus perſecutione ſuorum, vt eam tanquam in ſe factam reputet. *Saul, Saul*, inquit, *quid me perſequeris?*

Dolor acutiſsimus piorum, blaſpema voces in Deum.

Vnde tantus iſte dolor.

Act. 9. 4.

12 *Quid deiicis te, anima mea, & quid perſtrepis in me? ſpera in Deo, nam adhuc celebraturus ſum eum, omnimodam ſalutem faciei meæ, & Deum meum.*

Quid deiicis. Redit poſtremò ad verſum illum, quem antea iam expoſuimus, quaſi amœbæum, de quo ſuprà verſu 6. Ideo de eo id nunc nos tantùm admonemus: Quo-

Pij tandẽ ad ſeipſos reuertuntur.

ties indulſerunt dolori ſuo ad tempus pij quique, toties ſubinde ad ſe redeunt, ſeſéque conſolantur, corrigentes affectum ſuum: atque animam ſuam adhortantes ad ſpem, quæ deſperationi, ad quam alioqui præcipites eos raperet affectus, contraria eſt. Atque hæc hactenus in Pſalmum quadrageſimum ſecundum.



PSALMVS XLIX.

Argumentum.

De authore huius Pſalmi, nihil diſputo. Agitur autem in eo de fiducia in Deo. Pſalmi *partes* ſunt quatuor. 1. eſt *præfatio grauis*, in qua omnium hominum attentionem captat vſque ad 6. verſ. 2. eſt *propoſitio fiduciæ in Deo*, 6. verſ. 3. eſt *fiduciæ propoſitæ argumentum*, à beneficio illo reſurrectionis & vitæ æternæ ad 17. verſ. 4. eſt *concluſio hortatoria* ad omnes pios, ad finem vſque.

1 *Magiſtro ſymphoniæ in poſteris Corachi, Pſalmus.*

2 *Audite hoc, omnes populi: auribus percipite, omnes habitatores mundi.*

3 *Tum nati plebeio homine, tum nati præſtante viro: ſimul diues & egens.*

4 *Os meum locuturum eſt variam ſapientiam, & meditatio animi mei multiplicem prudentiam.*

5 *Incli-*

5 *Inclinans ad parabolam aurem meam, pandam in cythara ænigma meum.*



VDITE *hoc.* Prima pars Pſalmi, præfatio, in qua primùm in genere omnium populorum omnium incolarum mundi huius expetit attentionem. Deinde in ſpecie, facta quaſi diſtributione, attentionem captat: 1. ignobilium: 2. nobilium: 3. diuitum: 4. pauperum quos omnes monet ad attentionem à grauitate materiæ ſubiectæ, ſapientia varia, & prudentia multiplici. Hanc poſtea verſ. 5. vno verbo parabolam vocat, quia nimirũ, in ſuo exemplo eam proponit: vocat etiam ænigma, id eſt, inſignem ſententiam allegoricam: nam allegoriam ſiue perſpicuam, ſiue obſcuram, Hebræi ænigma vocant. Rurſus autem quò magis ad attentionem moueat, ſignificat ſeriò ſe occupatum iri in materia hac tractanda, *Os*, inquit, *locuturum eſt, & animus meditaturus, auris ſe inclinatura eſt, & cythara pulſanda.* Vide hîc primùm: attentionem ab aliis requirit. Interea ſignificat ſe diligenter ac ſeriò rem tractaturum.

Prima pars Pſalmi, præfatio, attentionem captans omnium, cuiuſcunque ordinis & conditionis.

1. Quum igitur materia grauis aliqua tractanda proponitur, in ea ſeriò occupati eſſe debent, & qui audit, & qui loquitur. 2. Nota rurſus argumentum Pſalmi eſt

Attentio in rebus grauibus neceſſaria.

Sapientiæ, vt in præfatione ipsa habemus. Sapientiæ autem ea est, fiduciæ doctrina, vt sequitur postea. de fiducia igitur dicturus, omnium attentionem requirit. fiduciæ doctrina, siquando proponitur, surdis proponi non debet: verùm attentionem postulat omnium, nobilium, ignobilium, diuitum, pauperum: nobilium, inquam, & diuitum, ne fiduciam suam collocent in nobilitate & diuitiis: ignobilium verò & pauperum, ne his rebus destituti despondeant animum: aut eas etiam in aliis supra modum admirentur. Nam, quę est naturæ nostræ propensio, pauperes vulgò felicitatem in diuitiis collocant: ignobiles & obscuri homines, in honoribus, quibus ipsi destituuntur. 3. Profitetur se omnibus modis occupatum iri in hac materia tractanda. Quid est enim quod Antidoxis attentionem maximè excitat? nempe doctoris seria diligentia. Quando autem maximè ædificatur auditor? nempe quum obseruat eum qui loquitur, pariter ædificari non nisi meditata à se priùs loqui, aurem quodammodo ad suam ipsius vocem inclinare: etsi eum non alia proferat ore, quàm quæ animo priùs meditatus est: tamen ea ipsa prolata ore primùm, deinde aure percepta, postremò in animum, à quo profecta sunt, redeuntia, fidem & cognitionem

Fiduciæ doctrina quibus & quomodo proponenda.

Auditorum in Ecclesia maxime habenda ratio.

tionem ipſius dicentis confirmant. Atque hæc de præfatione.

6 *Cur timerem temporibus mali, vt iniquitas veſtigiorum meorum circundet me?*

Cur timerem. Sequitur propoſitio hoc verſu 6. Propoſitionis ſumma eſt, fiducia in Deo, aduerſus omnia mala, tam vitæ huius, quàm futuræ. Hanc non ſimpliciter proponit, ſed colluctatus quaſi aliquandiu cum infirmitate carnis ſuæ, effert eam cùm interrogatione: *Cur timerem*, inquiens, *temporibus mali, vt iniquitas veſtigiorũ meorũ circundet me?* hoc eſt, vt ex infirmitate vitę huius meę, in qua incedo tãquã pedibus meis, circũueniar calamitatibus, & malè ſit mihi. vox hæc videtur diſceptantis eſſe cum alio, & increpantis. Atque ita quidem fit reipſa. Eloquitur enim iſta Dauid non ſine diſceptatione quadam & lucta cum carnis infirmitate: neq; enim per carnem noſtram licet, ſine lucta aliqua fiduciam in Deo collocare. Eſtque fiducia noſtra in Deo, perpetuò carnis infirmitatibus præpedita. Quiſquis igitur vult Deo cõfidere, neceſſe habet ſe ad luctam præparare.

Altera pars Pſalmi. Propoſitio fiducia in Deo.

Qua fiducia aduerſus diffidentiam luctatur.

7 *Eorum qui confidunt in opulentia ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur:*

8 *Fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam, non dare Deo redempturam eius.*

9 *(Est enim cara redemptio vitæ eorum: imò cessat in sæculum:)*

10 *Vt viuat adhuc in æternum, non experiatur corruptionem.*

11 *Quamuis videat, sapientes moriuntur, simul stultus & brutus pereunt, ac derelinquunt aliis opulentiam suam.*

12 *Animus est illis, domos suas in sæculum, habitacula sua in quamque genenerationem, vocare de nominibus suis per terras.*

13 *Neque homo, qui in honore est, cõmoraturus est, similis fit iumentis quæ intereunt.*

14 *Hæc cùm sit via istorũ, expectatio est eis, & posteri eorum approbant os eorum,* Sela.

15 *Tanquam pecudes, vbi in sepulchro, dispositi fuerint, mors depascet eos, donec dominentur eis recti illo manè: & formam eorum consumat infernus, receptam ex habitaculo eius.*

Tertia pars Psalmi, fiducia continens argumentum, à resurrectione carnis & vita æterna: quod amplificatione à contrario illustratur & explicatur.

16 *Enimuero Deus redempturus est animam meam à sepulchro. nam recepturus est me.* Sela.

Eorum qui. Sequitur fiduciæ argumentum à resurrectione carnis & vita æterna. *nam*, inquit, *redempturus est animam meam à sepulchro.* Argumentum hoc non satis habet nudè substernere: verùm amplificationem eius præmittit à contrario, quod nimirum iis euenit, qui in diuitiis & honoribus fiduciam suam collocant. Nam

eorum

eorum nemo eſt qui animam ſuam à morte redimere poſſit. Amplificatio hæc & declaratio, quo diſtinctius eam intelligamus, in has partes diducetur. *Primum* verſu ſeptimo, & deinceps ad 11. oſtendit eum qui in diuitiis fiduciam collocat, non poſſe animam à morte redimire. *Deinde* oſtendit eum, qui in honore fiduciam collocat, non poſſe animam à morte redimere, à verſu vndecimo ad decimum quartũ. *Tertiò*, dum hæc ſeriò conſiderat, iſtorum hominum ſtultitiam exaggerat, vt & poſterorum reprehendit, verſ. 14. & 15. Ad primam partem redeo. *Eorum*, inquit, *qui confidunt in opulentia*, &c. *Nemo, ne fratris quidem ſui, vitam vel omnibus opibus ſuis poteſt redimere, nedum ſuam ipſius vitam.* (pluris enim redimat quis ſuam ipſius vitam quàm fratris ſui.) Sed ne fratris quidem vitam poteſt redimere, *ſic vt is in æternum viuat & non experiatur corruptionem.* verſu autem nono ratio inſerta eſt: *eſt enim*, inquit, *cara Redemptio vitæ eorum*. Imò verò pretium vitæ Deo, ab iis, nullo vnquam tempore, diſſolui poteſt. Atque id eſt quod ſubiicit, *Imò ceſſat in ſæculum*. Summa horum huc redit: quaſi dicat, qui in opulentia collocat fiduciam, tota ſua opulentia ne fratris quidem vitam poterit redimere, nedum ſuam ipſius.

Amplificationis à contrario primum membrum, aduerſus auaritiam.

De diuitiarum vanitate, locus.

Obserua: Non in hunc modum loquitur Dauid, qui confidit in opulentia sua, nescit, quæ est huius mundi inconstantia, quamdiu sit ea fruiturus: verùm opulentiam satis magnam in tota hac vita concedens, non posse tamen eam vltra momentum illud morti præstitutum, vitam istam protrahere affirmat, aut immortalitatem cuiquam mortalium dare. Dauid igitur ideò diuitias parui æstimat, quia immortalem hominem efficere non possunt. tanti enim facit immortalitatem: Dici non potest, quantum discrepet iudicium hominum huius seculi, ab ista Dauidis sententia. Sciunt hi quidem neque diuitias, neque honores posse immortalitatem tribuere: nihilominus securi immortalitatis omnem fiduciam suam in his rebus collocant. Nonnulli autem profani adeò sunt; vt non pudeat dicere, Modò ipsis bene sit in ista vita, nihili se facere vitam illam futuram. Alij autem, si non audeant tam profanam vocem iactare, vita tamen & moribus satis ostendunt, hoc se apud animum suum cogitare. Factus est homo in prima creatione ad immortalitatem, inéstque vel naturâ ipsa in eo sensus aliquis & appetitus immortalitatis. Hoc igitur in extremis numero maledictionibus, quod quis adeò obbrutescat, vt in tota vita nihil

Corrupta & profana diuitum huius seculi iudicia.

2.Cor.5.5.

hil de immortalitate cogitet. Videas tamẽ passim istiusmodi nõ tam homines, quàm belluas, nihil hominis habentes, præter externam speciem, qui belluis etiam deteriores sunt. Belluæ enim naturam suam retinent: isti à natura sua degenerant. Sed quid, inquies, an tam inimicæ sunt & contrariç diuitiæ vitæ illi futuræ? An non potiùs sunt omnia ista temporaria bona vitæ illius futuræ ac felicitatis totidem arrhabones? Respondeo, diuitias sæpenumero dispersas magis, quàm corrasas, prodesse ad vitam æternam. Nam vbi thesaurus hominis congestus est, ibi & cor ipsius est. Dispersæ autem sunt, verus ille thesaurus, qui ad vitam æternam prodest nobis. Thesaurúmne, dicet aliquis, appellas eum qui dispergitur? imò dispersas diuitias thesaurum appellat Apostolus. Si enim, inquit, faciles fuerimus ad impertiendum, recondemus nobis ipsis fundamentum bonum in posterum, vt vitam æternam apprehendamus. Vides igitur nos recondere, quod tamen erogamus, & colligere, quod tamen dispergamus.

De recto diuitiarum vsu, earúmque abusu.

1. Tim. 6.18.19.

Quamuis videat. Secunda pars amplificationis, qua ostendit eum, qui in honore fiduciam suam collocat, non posse honore & gloriâ vitam suam redimere. *Pri-*

Alterum amplificationis à contrario membrum.

aduersus ambitionem. *mùm* autem, proponit insanum illud ambitiosorum hominum gloriæ & honoris studium. *Deinde*, quid ex eo consequantur ipsi, docet. *Non possunt animam suam redimere, quamuis videant*, inquit, *sapientes*, *huius mundi, nonsecus ac insipientes, stultos & brutos, perire; aliisque*, fortasse etiam ignotis & peregrinis, *totam suam opulentiam & magnificentiam derelinquere:* tamen *animus est illis gloriam sibi quærere, idque ex operib. hic illic magnificè exstructis* quæ placet de nominib. suis vocare. *Tu*, quod obtingit ambitiosis istis subiicit ver.13. *Homo qui in honore est, nihil amplius vtilitatis capiet ex honoribus suis, quàm diuites ex opibus*, & ne vnius quidem noctis vsuram poterunt ei omnes honores elargiri: *similis tandem fit iumentis, quæ intereunt.* Quemadmodũ enim in vita his ipsis similis fuit, nihil scilicet intelligens, vt vltimo versu habetur, ita etiam in morte sua iis similis erit. Æquum enim est, vt qui instar belluæ viuit, is quoque instar belluæ moriatur.

Ecclesiastic.13.18.19.

Obserua. Dicit primùm eum qui in honore collocat fiduciam, hoc est, ambitiosum, videre ac intelligere: deinde dicit animum tamen illi esse gloriam quærere. Non prodest quicquam videre id quod bonum est, ac sequendum, quodque malum est ac fugiendum: nisi Deus cor simul

Locus, de ambitiosorum cæcitate.

adaperiat

adaperiat ad hoc, vt quod videmus ac intelligimus, id penitus corde sentiamus. Videas passim homines malos, ambitiosos, auaros, crudeles etiam, cùm mille tristissimas experientias istiusmodi hominum ante oculos habeant, nihil tamen his omnibus cõmoueri, neque animum suum & consilium in melius commutare. quæ autem causa est? Vident hi quidem mente & intelligunt satis: sed corde nihil sentiunt. Rogandus est igitur Deus obnixè vt quemadmodum non desunt exempla tam bona quàm mala omnis generis, ita etiam det nobis, vt ea penitus animo sentiamus, sitque vnà cum mentis cognitione conscientia & cordis sensus.

Hæc cùm sit. Tertia pars amplificationis, in qua quidem dum diligentiùs considerat euentum hunc (neuter enim, neque diues, neque ambitiosus, potest animam suam redimere) stultam istorum hominum fiduciam & confidentiam exaggerat, neque istorum modò, sed & posterorum: *quum*, inquit, *hæc sit via eorum:* quúmque neuter possit animam suam redimere: neque hic honore, neque ille opulentia sua: tamen obbrutescunt, adeò, vt fiduciam suam in his rebus collocent: neque tantùm hi insaniunt. sed & eorum posteri eos tanquam sapientes approbant, in admi-

Postremũ amplificationis mẽbrũ, quod continet stulta auaritia & ambitionis acrem redargutionem.

ratione habent, & eorum exemplum imitantur. Vides igitur malos, non tantùm alios dum in viuis sunt offendere, sed etiam post mortem iis esse scandalo. vnicè hoc expetunt hi κενόδοξοι & ambitiosi, vt res à se gestas memoriæ commendentur. Sed vide mihi hîc, quantum ea re proficiant. quid, quæso, aliud agunt, quàm augent iustam sui condemnationem? quantò enim plures eorum malum exemplum imitantur, tantò grauius profectò futurum est eorum iudicium. Conandum igitur nobis est, sic viuamus, vt non solùm, dum sumus in vita aliis simus offendiculo, verùm etiam, ne post obitum nostrum posteris nostris vitæ malè actæ exemplum relinquamus. Hoc iis præsertim faciendum est, qui aliquo numero & loco sunt, & quorum res gestæ memoriæ posteritatis produntur.

Reproborum infelicitas & maledictio.

Tanquam pecudes. Amplificationis conclusio qua ostendit istorum hominum miseriam. Non possunt isti vel opulentia vel honore animam suam redimere: verùm tanquam pecudes, vbi semel in sepulchro depositi fuerint, mors eos depascet. Quousque autem? nempe *donec dominentur iis recti*, nimirum in Christo Iesu, cuius regni futuri sunt participes iusti. Quo tempore dominabuntur? *illo mane*, inquit, quo nimirum resurgent pij quasi ex nocte & tenebris

Amplificationis conclusio & transitio ad fiduciæ piæ argumentũ, seu ad 3. partem huius psalmi.

tenebris

tenebris ſepulchri: cùm videlicet ſol iuſtitiæ orietur Chriſtus in ſecundo illo aduentu ſuo. *Et formam.* Rurſus definit temporis illud ſpacium, quo mors depaſcet eos: nempe donec *formam eorum*, id eſt, materiam hanc corpoream, & aſpectabilem, *receptam*, hoc eſt de integro animæ ſuæ adunatam, *conſumat* eos *infernus*. Inferni nomine in genere ſtationem quamlibet mortuorum intelligunt Scripturæ, ideóque modò ad ſepulchrum, modò ad infernum ſynecdochicè, modò ad vtrumque ſimul, pro ratione locorum, vox iſta accommodanda eſt. Nos verò ita hîc nomen hoc accipimus, vt argumento, ordini iudiciorum Dei, & ſequenti antitheſi conuenientius eſſe iudicamus: nempe pro loco eo, in quo pœnis & iuſto Dei iudicio torquendi ſunt reprobi. Obſerua continuum quaſi progreſſum à miſeria ad miſeriam. Ex quibus poſterior priori perpetuò grauior, poſtrema grauiſſima eſt. Primùm enim reprobi, vbi è viuis exceſſerunt, conduntur ſepulchro, quod quidem ipſis maledictum eſt: ſepulchro conditos mors depaſcit ad extremum vſque diem, ac ad illud (vt vocat) *mane quo dominaturi ſunt iis electi ac iuſti.* Quod quidem dominium illis tãquam graue quoddã iugum futurũ eſt, & aliqua pœnæ illius

Malac. 3.20.

Infernus quid.

Hîc pro loco damnatorum ſumitur.

Reprobi à miſeria ad miſeriam grauiſſimam continuò progrediuntur.

æternæ pars. verũ restat adhuc pœna grauissima qua apud inferos in æternum tam animo quã corpore torquẽdi sunt. Videát igitur & caueant sibi, qui diuitiis & honoribus huius mundi, magis quàm Domino confidunt, qualis-nam exitus hoc genus hominum maneat. Atque hactenus fuit amplificatio.

Absoluta amplificationis à contrario explicatione, redit ad fiduciæ suæ argumentum.

Sequitur nunc vers. 16. fiduciæ suæ quá proposuit vers. 6. argumentum: quod quidem præcedenti amplificationi per dissimilitudinem subiectum est: quasi dicat, illi non possunt vel opulentia vel honore animam suam redimere: at verò, *Deus redempturus est animam meam à sepulchro*: hoc est, mihi daturus est resurrectionem carnis & vitam æternam in Iesu Christo, qui meus est vindex à sepulchri corruptione & inferni damnatione. Vides hîc perspicuum discrimen eorum qui rebus caducis huius mundi confidunt, & qui in Deo viuo fiduciam collocát. Res quidem omnes huius mundi non possunt seruos suos in vita seruare. At verò Deus mortuos iam & credentes in se, in vitam potest reuocare, & suo etiam tempore reuocaturus est. Permagni igitur interest quid, aut quem pro Deo habeamus, mundum ne hunc, aut res huius mundi: An verò Deum cœli & terræ, Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Certum discrimen piorum & impiorũ.

17 *Ne timeto, quum diues euaserit quispiã quum aucta fuerit gloria domestica eius.*

18 *(Non enim in morte sua assumpturus est illius quicquam, non descensura est post eum gloria eius:)*

19 *Cùm anima suæ in vita sua benedicet, & celebrabunt te, si benefacias tibi.*

20 *Vt perueniat vsque ad ætatem maiorum eius, in æternum tamen non sunt fruituri luce.*

21 *Homo qui est in pretio, neque est intelligens, similis fit iumentis quæ intereunt.*

Ne timeto. Postrema pars Psalmi, in qua concludit Psalmum, hortando omnes pios ne commoueantur, vel exemplo, vel sermone istiusmodi hominum: sermone, inquam, quo vel ipsi sibi adulantur, vel etiã piis assentantur. Rationes exhortationis duas affert, vnam quidem ab inconstantia diuitiarum & honorum. *Cùm ventum est,* inquit, *ad sepulchrum, istæ res cultores suos destruunt.* Alteram verò rationem affert ab instabilitate & extremo exitio ipsorum hominum. *Etsi.* inquit, *contigerit eos ad ætatem vsque maiorum peruenire, luce tamen illa æterna vitæ non sunt fruituri. Verùm in opacitate tenebrísque secundæ mortis permansuri.* Obserua: periculum maximum solet esse ab hominibus huius sæculi, diuitibus, & ambitiosis: volunt enim omnes eadem se-

Quarta & postrema psalmi pars, exhortationem necessariam ad pios omnes continens.

Diuites & ambitiosi, vicini formidabiles.

cum damnatione inuolui, atque implicari. verùm in tentationibus eorum, recordandum est istos homines, cum diuitiis & honoribus suis finem tandem habituros: imò sine fine, nisi resipuerint, in mortis secundæ tenebris permásuros. Recordationem ac cogitationem huius rei eò diligentiùs commendo, quòd complures passim videá vanitatibus istis fascinari, quàm eas pro vanitatibus ducere. Sensus enim iste carnis crassus est, adeò vt nonnisi crassa ista possit sapere. Neque Spiritus hominis cælestia illa ac spiritualia potest vnquam capere. Orandus igitur Deus est, vt nobis in medio quasi istarum rerum, quibus mundus fascinatur collocatis, velit adesse suo Spiritu: & supra hunc mundum nos euehere, ad contemplandum non ea quidem quæ cernuntur, verùm ea quæ non cernuntur. Nam quę cernũtur caduca sunt omnia: quæ verò non cernuntur immortalia sunt, & immortales nos possunt efficere, per Christum Iesum Domini nostrum. Huic sit omnis honor & gloria Amen.

Piorum, inter istos impios ad tempus conuersantium, officia.



PSALMVS LI.

Argumentum.

Dauid, redintegrato aduersus Hammonitas bello, cùm domi desideret, Vriæ vxorem formosam, lauantem

lauantem se videns, accersit, & à se compressam remittit. Quam ex se concepisse audiens, maritum è castris reuocat, vt partus illius haberetur. Quod, quia non succedit, remisso Vria in castra cum literis, Ioabo mandat, vt eũ interficiẽdum hostibus obiiciat. quo effecto, viduam eius ducit. Hinc Nathan à Deo mittitur, qui proposita parabola, quid iuris esset expiscatus, cum ad facti sui conscientiã reuocat, & resipiscenti veniam pronuntiat. vide 2. Samuel. 11. & 12.

Hic igitur Psalmus est, quòd Dauid, resipiscens, peccatorum remissionem implorat. Cõstat autem duobus petitionum generibus. *Primùm*, speciali petitionis genere, quo petit suorum peccatorum veniam ad vers. 3. à vers. 3. ad 20. *Deinde*, generali, quo petit totius Ecclesiæ bonum, vers. 20. 21.

Primum petitionis genus admistum est suis causis. Precatur enim, *Primùm*, & precationi causam addit à simplici & cãdida cõfessione. *Secundò*, precatur, & precationi subiicit secundam causam ab aliorum ædificatione. *Tertiò*, denique precatur, & precationi subiicit tertiam causam, à Dei ipsius gloria. Sed videamus contextum.

1 *Magistro symphoniæ, Psalmus Dauidis,*

2 *Cùm venisset ad eum Nathan Propheta, postquam congressus fuisset cum Bathschebahba.*

3 *Gratiam fac mihi, ô Deus, secundùm benignitatem tuam: secundùm amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas.*

4 *Multùm ablue me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

5 *Nam defectiones meas ego agnosco, & peccatum meum obuersatur mihi iugiter,*

6 *Tibi, tibi soli peccaueram, & quod malum videtur in oculis tuis feceram: agnosco, vt iustificeris in sermonibus tuis, purus sis quando tu iudicas.*

7 *En, in iniquitate formatus sum, & in peccato fouit me mater mea.*

8 *En, veritate delectaris in renibus, & in occulto sapientiam notam tu feceras mihi.*

9 *Expiato me musco, vt mundus sim: abluito me, vt præ niue albescam.*

10 *Facito vt audiam gaudium & lætitiam: exultent ossa quæ contriueris.*

11 *Absconde iratam faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

12 *Animum mundum crea mihi Deus, & spiritum firmum renoua intra me.*

13 *Ne abiicias me à facie tua, Spiritum Sanctum tuum ne recipias à me.*

14 *Redde mihi gaudium salutis tuæ, & Spiritu ingenuitatis sustentes me.*

15 *Docebo defectores vias tuas, vt peccatores ad te conuertantur.*

16 *Libera me à sanguine, ô Deus, Deus salutis meæ: cantet lingua mea iustitiam tuam.*

17 *Domine, labia mea aperias, vt os meum annuntiet laudem tuam.*

18 *Nam non delectaris sacrificio, vt dem: holo-*

olocaustum non vis.

19 *Sacrificia Dei sunt, Spiritus fractus: animum fractum & contritum, ô Deus, non spernis.*

GRATIAM *fac mihi.* Audita Nathanis reprehensione, statim in animo Dauidis erigitur quasi Dei iudicis tribunal: & conscientia, priùs consopita, iam excitata intentat accusationem pro tribunali illo obiectat primùm adulterij crimen illud fœdissimum. Deinde homicidiũ crudelissimum. Hinc horrores & terrores in corde miseri hominis existunt, quibus quidem conturbatus, non vt solent aliqui, hoc vel illud peccato suo prætexit, & celat peccatum suum, sed conscientiæ suæ cedens, & crimen confessus, supplex ad Deum se conuertit, eiúsque misericordiam appellat. *Gratiam fac mihi*, inquit, *ô Deus.* Non est profectò dolor alius grauior dolore hoc conscientiæ malæ: quod dum sentiunt improbi, primùm studiosè cauent, ne conscientia, semel consopita, exsuscitetur. Omnes admonitiones, reprehensiones & comminationes ex verbo Dei, sedulò deuitant. Deinde, si fortè vel inuitis iis excitetur tandem conscientia, non tum quidem continuò se comparant ad remouendum peccatum, vtpote perturbatæ conscientiæ materiam. Verùm om-

Resipiscentiæ veræ partes. Cõscientia excitata intentat sibi accusationem coram Deo: peccatũ agnoscit, & misericordiã iusti iudicis appellat.

Amplificatio veræ resipiscentiæ à contrario, nempe malæ mentis, quæ in impiis conspicitur, breui consideratione.

nibus modis tentant, dolorem illum conſcientiæ, lenire, & conſciẽtiam ſuam quaſi fallere, ludendo, iocando, omni denique voluptatis generi indulgendo. Fieri quidem poteſt vt ad tempus, fallacibus iſtis quaſi remediis adhibitis, dolorem ſuum demulceant, & conſciẽtiæ aciẽ retundãt. Verùm fallax eſt ea pax, & vulnus ita alligatum tandem recrudeſcet, ac niſi in præſenti iſta vita auferatur peccatum, quod maximè tectum cupiũt, futurum eſt tãdem vt conſcientia, ita excuſſo iam illo ſopore, euigilet, vt in poſterum requie aliqua nunquam ſit fruitura. Vnica ratio eſt iſta ſedandi ac mitigandi dolorem illum malæ conſcientiæ: nempe, ſit confeſſus peccatum tuum, ac confugeris ad thronum illum gratiæ, ac miſericordiam Dei in Chriſto Ieſu. Atque id eſt quod hoc Pſalmo, Dauidis exẽplo, diſcimus. Hinc enim ſequetur in animo pax quædam ineffabilis, imò omnem intellectum ſuperans, qua aliàs percepta, ex remiſſione peccatorum ſuorum, Dauid beatum eum prædicat cuius remiſſa ſunt peccata: Pſal. 32. 1. 2.

Conſcientiæ vulnera vnica ratione curantur.

Secundùm benignitatem. Hæc illa cauſa eſt cur Dauid, licèt peccator, audeat tamen ad Deum accedere, hoc eſt iudicem ſuum: nempe, benignitas ac miſericordia Dei in Chriſto, quà fretus libertatem habet,

Miſericordiæ Dei effectus.

habet, & aditum ad Deum cum fiducia, Eph.3.12.
vt loquitur Apostolus, gratiámque ab eo petit. Quo tempore, conscientia intentat aduersus nos crimen aliquod, eodem tempore Deus, tanquam iustus iudex, conscendit tribunal suum: in eóque sedet cum maiestate, ac eo terrore, quo facilè à facie eius absterreatur omnis peccator. Neque enim impij, qui nondum senserunt Dei illam in Christo misericordiam, iratum illum Dei vultum ferre queunt. Neque etiam eum ex animo Patrem inclamare possunt, imò verò exirent è mundo vt conspectum eius tam formidabilem effugiant. Quamobrem, peccator, nisi cum sensu peccati Deum simul misericordem sentiat, coram eo apparere non audet: percepta autem iam eius misericordia,& per Spiritum sanctum effusa in cor nostrum illa charitate, nulla re absterretur, non peccati grauitate, nō iudicis maiestate, quo minùs eum cum fiducia accedat. Tantam enim alliciēdi vim habet diuinæ in Christo misericordiæ sensus: si interficeres me, inquit Iobus, an non sperarem?

Dele defectiones. Petitio eadem iterata est ex summo liberationis desiderio: quod ipsum rursus existit ex acerrimo peccati sensu. *dele,* inquit, *defectiones meas:* hoc est, *Fidei mirus affectus, & vehemens desiderium.*

remitte mihi peccata, quibus factum est, vt turpiter desciuerim à te. Dici vix potest quàm grauiter peccatum sit à Dauide, commisso primùm adulterio: deinde homicidio: tertiò, contracto cum adulterata connubio: quartò, exposito præsenti periculo Dei populo: ad quæ denique omnia accessit in peccato pertinacia. Nam plures menses peccato quasi securè indormiuit. Reus igitur Dauid tot peccatorum, profectò, non nisi fretus infinita Dei misericordia, in conspectum eius ausus fuisset prodire: atque hinc est quòd exclamat, *dele defectiones meas*, videlicet tot ac tantas: ídque secundùm superabundantem gratiam tuam, ô Deus. Peccatum quodcunque offensio est infinitæ Maiestatis: hinc infinitum est quodammodo peccati onus, vel leuissimi in speciem, siquidem eo non leuetur ipse peccator in Christo Iesu. Quare, vt remittatur peccatum quodcunque, opus est misericordia etiam infinita, quantò magis vt remittantur multa grauiáque peccata opus est misericordia infinita & superabundante? Nã quum abundat peccatum, gratia necesse est superabũdet. Id quod docet experientia ipsa. Nam oppressus aliquis peccato aliquo grauiori, non priùs inuenit requiẽ animæ suæ, quàm immensam Dei misericordiam concipiat animo,

Peccatum multiplex Dauidis.

Peccati onus cur infinitum.

Misericordiam Dei cur immẽsam esse oportet.

animo,quam ſimulátque cõcepit & apprehendit, nullum peccatum eſt tãti momenti,cuius veniã non iã ſibi perſuadeat.Ideóque in tota vita nobis laborandum eſt, vt iuxta illud Apoſtoli valeamus aſſequi quæ ſit illa latitudo, longitudo, profunditas & ſublimitas, & cognoſcere illam charitatẽ Chriſti omni cognitione ſuperiorem.Infinita enim haud dubiè eſt Dei in Chriſto miſericordia,ſed nos(qui eſt ſtupor noſter) vix milleſimam eius partem comprehendere valemus.Ex quo fit,vt noſtra ipſorum culpa priuemur iuſta conſolatione.Neque enim conſolationi locus vllus in animo eſt abſque fide,quæ, quid aliud eſt, quàm Dei in Chriſto miſericordiæ perceptio? Eph.3.18. 19. *Stupor noſter.*

Multùm ablue. Tertiò idem petit,quaſi dicat, Ne ceſſa abluere, priuſquam me à peccato meo planè purgaueris. Alluſio eſt ad purgationes legales. Sed notandum, quod non contentus leui aut vulgari quadam ablutione,dicat,*Multùm ablue.* Senſit nimirum, peccatum iu ſe altiùs radices egiſſe, ſibíque tenaciùs adhæſiſſe:ideòque à Deo petit vt ablutiones multiplicet: quod niſi fiat, cogitat non futurum vt purgetur à ſordibus peccati.Nota igitur, peccatum non eſſe ſuperficarium quiddam, verùm, profunditates cordis omnino occupare. Sed qui id ſentiunt? Non profectò *Repetitio neceſſaria.* *Sordes multæ & altæ, repetitas & acres ablutiones requirant.*

ſecuri iſti & Libertini, qui vel peccatum non ſentiunt omnino, vel ſi ſentiunt, leuiter tantùm, & non niſi in ſumma cute illud ſentiunt. Qui igitur hoc ſentiunt? Nimirum qui ſeriò, & ex animo reſipiſcunt. Iſti, quàm fœdum ſit peccatum, probè ſibi conſcij ſunt, & quàm profundas animi partes occupet: indéque fit, vt, in hac vita, nunquam ſatis à peccato purgari ſe poſſe exiſtiment, atque illud cogitent, nihil eſſe quo purgentur, niſi ſolum illum Chriſti ſanguinem, ad quem ſolum, cùm ſenſus eſt peccati ſerius, ac ablutionis deſiderium, ducit eos Spiritus Sanctus. Neque enim is Spiritus Chriſti eſt, qui animum peccatoris aliò à Chriſto abducit, & ad alias purgationes & ſatisfactiones quaſcunque, quas ſomniant ſibi Pontificij.

Senſus peccati, in quibus ſit.

Ex iis quæ dicta ſunt omnibus hoc obſerua: Dauid ingentem animi ſui dolorem his ſuis petionibus indicat, doloris autem cauſa ſatis intelligi poteſt ex ipſis petitionibus. Eſt autem peccatum, quo Deũ ſuum ipſe grauiter offendit; ait enim, *dele defectiones meas, &c.* Hinc manifeſtum conſpicitur diſcrimen inter dolorem piorum & impiorum: hi quidem dolent non tã propter peccatum, offenſúmq; Deũ, quàm propter pœnam peccati, ac cruciatum. Sic dolebat Cain: *Maior*, inquit, *eſt iniquitas mea,*

Doloris piorum & impiorum diſcrimen.

Gen. 4. 13. *Exempla, Cain Iudas.*

mea, hoc est pœna iniquitatis meæ, quàm vt sustinere possim. Sic quoque dolebat Iudas Christi proditor. At verò pij, etsi abhorreant quidem à pœna, tamen ideò dolent præcipuè, quòd Deum suum offenderint: & peccatum, non tam propter pœnam, quàm propter malum ipsum, quod in peccato est, detestãtur. Atque eiusmodi dolor fuit Dauidis hoc tempore. *Oppositũ, Dauid.*

Nam defectiones. hactenus ter idem petiuit: nunc petitionis causam annectit, à simplici candidáque peccati confessione: quasi dicat, ô Deus, confiteor me omnibus his modis defecisse, quos per Nathanem Prophetã tuũ denuntiasti: cõfiteor, inquã, corã Propheta tuo, deniq; corã tota Ecclesia, nõ præsente tãtùm, sed in posterum ad finem vsque futura: nimirùm hoc Psalmo exarato, & toti posteritati, ac sæculis futuris prodito. *Petitionis causa, à peccati sincera confessione.* Hinc sequitur petitio: *Ergo gratiam fac mihi, ô Deus.* Ex hoc apparet non esse gratiæ ac misericordiæ locum, nisi antegressa candida quadam ac simplici confessione, ex seria animi rèsipiscentia profecta, Id quod testatur Dauid Psalmo 32. 3. & deinceps, ac sua ipsius etiam experientia didicit. *Misericordia impœnitentibus & resipiscere nescius denegatur.* *Cùm silerem*, inquit, *ac non confiterer peccatum meum, inueterascebant ossa mea, &c.* Tum addit, *peccatum meum notum faciam tibi, & defectiones meas*

non tegam, iniquitatem meam confitebor Iehoua. Hæc quidem confeſſio eſt. Quid autem ſequitur eam? *Suſtuliſti,* inquit, *pœnam peccati mei,* hoc eſt, peccatum & pœnam. Summa horum huc redit: vbi non eſt confeſſio, ibi non eſt gratia: vbi eſt confeſſio, ibi eſt gratia.

Efficiens cauſa reſipiſcentiæ & confeſſionis.

Et peccatum meum. Hæc eſt cauſa reſipiſcentiæ, & confeſſionis efficiens, mala conſcientia ſiue conſcientia peccati: quaſi dicat, vrget me dies noctéſque conſcientia peccati mei, perpetuóque oculis meis obtendit homicidium, adulterium, cæteráque flagitia mea cum his cõiuncta. Præparamur igitur ad fidem & reſipiſcentiam per conſcientiam nos accuſantem, & horrorem incutientem. Inde eſt quod ad gratiam Chriſti confugiamus, & fide eam amplectamur, ex fide rurſus & ſenſu gratiæ exiſtit dolor ille, qui eſt ſecundùm Deum: hoc eſt, qui eſt propter offenſum Deum; ex eo rurſus dolore, eſt mutatio illa animi, quam μετάνοιαν ſiue reſipiſcentiam appellamus. Nam teſte Paulo, 2. Cor. 7. Qui ſecundùm Deum eſt dolor, is reſipiſcentiam efficit ad ſalutem. Denique ex reſipiſcentia & animi mutatione eſt oris confeſſio. Ex præparatione iſta ad gratiam id clarè conſpicitur, neminem ſegneſcendo, & dormitando, gratiam illam, in Chriſto Ieſu,

Aduerſus Libertinos & Epicureos.

Ieſu, conſequi; verùm per horrores conſcientiæ, ad cœleſtem illam lætitiam tranſire. Licèt enim gratis condonetur nobis vita in Chriſto, tamen, ante acceptam vitam, neceſſe eſt perpetiamur inſignem mutationem, & deiiciamur priùs quàm erigamur.

Illud præterea diſcimus ex iſto Dauidis exemplo, quàm bene cum iis agatur, qui conſcientiam habent paulò vigilantiorem primùm enim, refrænantur, ne multa perpetrent flagitioſa, quæ alioqui perpetrarent. Deinde eadem illa conſcientia, ſi quid ab iis mali commiſſum ſit, de eo admonentur, & ad reſipiſcentiam deinde impelluntur. Contrà verò miſerrima eſt eorum conditio, quorum conſopita iacet conſcientia: eos enim neceſſe eſt pronos nulla re inhibente in omne ſcelus proruere. Deinde verò, poſtquam iam ſcelus aliquod perpetratum eſt, neceſſe eſt vt ei ſecurè indormiant, nulla re ad reſipiſcentiam eos reuocante. Quamobrem optimi eſt ea hominis conditio, quæ eſt cum conſcientia factorum: etſi ſæpenumero ingratum nobis videatur, conſcientia nos vel retineri à peccato perpetrando, vel reuocari ad peccati commiſſi confeſſionem.

Vigilantis conſcientiæ cõmoda.

Impiorum miſeria ſumma.

Tibi, tibi ſoli. Peccatum ſuum exaggerat: ex eo primùm quòd in Deum ſit, dein-

Peccati exaggeratio vtiliſſima.

de quòd in solum Deum. Quòd ad primum, *Tibi* (inquit,) *peccaueram.* deinde ad maiorem rei certitudinem, *Tibi, tibi,* inquit, *peccaueram,* eodem verbo iterato. Nõ quærit Dauid effugium aliquod, neque inficiatur se in Deum peccasse: id quod facturos audimus reprobos in nouissimo die: qui accusati de peccato, etiam in ipsum Deum commisso, responsuri sunt, *quãdo vidimus te hospitem, quando nudum, quando esurientẽ, quando sitientẽ, quando in carcerẽ contectũ?* at verò Christus, tum excepturus est eos statim his verbis, & prætextum hunc iis ablaturus: *Amen, amen,* inquiens, *dico vobis, quatenus id non fecistis vni ex istis minimis, nec mihi fecistis.* Non sic, inquam, tergiuersatur Dauid, peccatum suũ eleuando, quasi verò in Deum non sit perpetratum: verùm expressius non potest dicere illud in Deum ipsum admissum esse. *Tibi, tibi,* inquiens, *peccauerã:* deinde exaggerat peccatum suum, cùm, dicit, *Soli Deo se peccauisse.* Si propriè loquamur, peccatum quodcunque in Deum committitur, eúmque respicit vel immediatè, vt quum peccatur in primam legis tabulam: vel mediatè, vt cùm peccatur in secundá. Est enim peccatum, legis diuinæ transgressio, & persona offẽsa propriè Deus est. Ná nisi interueniret primum Dei mandatum vel

Matth. 25.44. &c.

Quomodo peccasse dicimur in solum Deum.

vel vetans, vel iubens aliquid, nulla profectò esset in creaturam aliquam offensa. nisi diceret Deus, *Ne committas adulterium*, nulla esset vel Vriæ vel cuiusquam offensio in committendo adulterio. Nisi diceret Deus, *Ne occide*, nulla esset in occidendo offensio, vel in Vriam, vel in alium quempiam. Quamobrem, si propriè loquamur, in Deum solum admittitur omne peccatum. Hinc sequuntur duo: Vnum, remissionem peccati, vel remittendi peccati priuilegium, ad solum Deum pertinere: solus enim Deus, si propriè loquamur, peccata nostra remittit. Alterum, vltionem peccati ad solum Deum pertinere. *Mihi vindicta*, inquit Dominus, *& ego retribuam*. Quare, quum iniuria fit cuiquam, non æstimandum est tam fieri iniuriã homini, quàm Deo, eíque vltro relinquenda est. Deus, si propriè loquamur, persona læsa est ac offensa, vt pote cuius mandatũ violatum sit: quòd profectò nisi violatum esset, nullam planè haberet conquerendi de iniuria causam creatura. Quare, vltio Deo primùm cõmittenda est, deinde personæ illi, cui suam vicem in terris demandauit. Verùm, homines sic agunt suam causam, sic vlciscuntur iniurias sibi illatas, ac si in ipsos solos peccatum esset, & nihil ad Deum pertineret iniuria. Ex quo fit sæ-

Remissio & vltio peccati, cur ad solum Deũ pertinet.

Rom. 12. 19.

Aduersus vindictæ priuatæ patronos & executores.

penumerò, vt dum ipsi vlcisci volunt iniuriam in se factam, Deus ipsos vlciscatur, efficiátque vt secundum (vt ita loquar) damnum reportent.

David nō minuit peccati sui graui tamē, sed amplificat.

Atque hæc de peccato, quantum ad hūc locum attinet. Dauid enim non ita eleuat peccatum suum, quasi ex parte tantùm aliqua Deum attingat, verū exaggerat ipsum quasi in solum Deum perpetratum sit: ac si dicat, non est mihi negotium (vt verè dicam) cum Vria, aut quoquam mortalium, verùm tecum mihi negotium est, ô Deus, etsi omnes facilè condonarent mihi offensam in ipsos, tamen ea re non esset mihi satisfactum, mi Deus, quia *Tibi, tibi*, inquam, *soli peccaui*: & nisi tu pro bonitate tua mihi remittas peccatum meum, nullo loco reputo omnes omnium hominum remissiones, aut veniam peccatorum ab omnibus impetratam.

Peccati sensus in quib. & quomodo fiat acerrimus.

Admonemur itaque, Dauidis exemplo, quòd, dū conscientia nostra nos accusat, non accuset quidem tam offensi hominis alicuius, quàm offensæ infinitæ illius maiestatis diuinæ. Conscientia Dauidis non tam accusat eū facti alicuius in Vriá, quàm in Deū ipsum: atque hinc existit serius, ille peccati sensus. Hinc sunt horrores illi inferorū, dum vident homines sibi rem esse, nō tam cum hominibus, quàm cum Deo ipso. Omnium enim

enim hostium terribilissimus est Deus hostis, à cuius ita hoc vnicum refugium nobis est, vt ad ipsum confugiamus, & cum ipso per Christum reconciliemur. Quare ex hoc Dauidis exemplo, id vtilitatis capimus, quòd postquam iam à nobis peccatum est, non aliò cõfugiendum sit, quàm ad ipsum Deum. Neque enim conquiescit animus Dauidis priùs quàm cum offenso Deo suo in gratiam redeat. *Remedium certissimum.*

Et quod malum videtur. Quasi dicat, putaram me clam fecisse, quicquid feci, cùm tamen id totum in oculis tuis, & te quasi inspectante factum sit, siue id adulterium sit, siue homicidium, siue matrimonium iniustum ac illegitimum, cum adultera contractum, siue denique in his omnibus peccatis perseuerantia sit. Dauid itaque nunc demum dicit se fecisse mala hæc omnia ipsius Dei oculis, & palàm. Existimant quidem homines se clam Deo quæ malè machinati sunt perpetrare: vt verò suo tempore videbũt horum omnium testem fuisse Deum, quasi oculatum. Præstat quidem vt hoc opportunè videant, dum locus aliquis est gratiæ, ne si seriùs id fiat, nullus sit futurus gratiæ locus. *Agnosco, vt iustificeris.* Confessionis suæ finem præcipuum subiungit, Dei gloriam: quasi dicat, hoc confiteor, ô Deus, non tam mea *Genuina peccati agnitio, & confessio.* *Confessionis præcipuus finis, Dei gloria.*

ipſius cauſa, vt ſcilicet mei miſerearis, quàm tuæ gloriæ cauſa. *Vt tu iuſtificeris in ſermonibus tuis*, id eſt, vt conſpiciaris verax eſſe. Nam Paulus veracitati
Rom. 3. 4. Dei, ac (vt ſic loquar) fidelitati, iuſtificationem hanc tribuit. Ergo, inquit, vt tu conſpiciaris verax in hac comminatione tua, per Prophetam tuum Nathanem facta, & vt tu *videaris purus*, hoc eſt, iuſtus, *quando iudicas*, hoc eſt, quando exequeris iudicia tua, quæ iam priùs comminatus es. Vides igitur, Dauidis exemplo, peccati confeſſionem cum primis inſeruire Dei gloriæ. Peccatum enim perpetratum non magis cedit in Dei ignominiam, quàm peccati ſincera & ingenua confeſſio, cedit in ipſius gloriam.

Reſipiſcere neſcij omnium grauiſſima contumelia Deum afficiunt.

Contrà verò, qui reſipiſcere neſciunt, duritia ſua, & obſtinatione animi, magis Deum dedecorãt, quàm admiſſo peccato, etiã grauiſſimo, ipſum dedecorarant. Nam obfirmare animum aduerſus gratiam, & vocationem, aduerſus cõminationes Dei, quid quæſo aliud eſt, quàm Deum mendacij inſimulare, interea dum nos ad ſe vocat, & iudicia ſua aduerſus nos denuntiat? rurſúſque Deum iniuſtitiæ accuſare, dum nos caſtigat? quo profectò non poteſt eſſe aliud peccatum grauius, quod vtinam mundus iſte, qui pro duritie ſua reſi-

piſcere

piſcere neſcit, tandem agnoſcat.

En, in iniquitate formatus ſum. Hactenus fuit confeſſionis propoſitio, ſequitur eius amplificatio, ſiue, quod idem eſt, peccati exaggeratio. Exaggerat autem peccatum tribus argumentis. 1. Eſt ab originali peccato. 2. A natura Dei. 3. A ſua ipſius cognitione, qua imbuit ipſum Deus. Primùm itaque dicit, *En, in iniquitate formatus ſum.* Hoc primum eſt argumentum, ab originali, illa corruptione, in qua conceptus ac fotus eſt in vtero matris ſuæ, donec in perfectum & maturũ fœtum euaſit, quaſi dicat, quid opus eſt morer in demonſtrando tibi actuali hoc, vt vocant, peccato? En tibi eius fontem, longè putidiſſimum: naturam totam, quanta quanta eſt, conflatam ex peccato. Nam quaſi digito demonſtrat Deo corruptelam naturæ ſuæ, quæ fuit inde ab vtero. *In iniquitate formatus ſum*, id eſt, conceptus ſum in originali peccato, in quo poſtquam conceptus ſum, in matris meæ vtero, in eodem ſolus ſum, tantiſper dum perfectus euaſi fœtus. Non damnat quidem actionem naturalem ipſam concipiendi ac fouendi fœtum in vtero, tanquam rem illegitimam, aut lege Dei prohibitam: cùm actio ipſa ſuapte natura vitioſa non ſit. Verùm contraxiſſe ſe ſignificat peccatum originale, tantiſper

Alia peccati exaggeratio, tribus cõſtans argumẽtis.

1. A peccato originis.

dum actiones illæ naturales, ac in se licitæ peragerentur: & iam inde ab vtero communi illa naturæ contagione infectum esse, non quidem vitio naturæ, qualis ea à Deo tum primum creata est, sed vitio naturæ, quæ in corruptionem degenerauit.

De peccato originali, locus.

Peccatum originale, vt ipsum paucis attingam, cernitur partim in reatu primi illius peccati, partim in culpa, siue naturæ corruptela. In reatu quidem, quia omnes rei sumus primi peccati illius Adami: in Adamo enim peccauimus omnes, vt qui tum olim fuerimus omnes in eius lumbis: peccatúmq; Adami, non tam ipsius quàm nostrûm omnium censendum est. In corruptione autem cernitur peccatũ originis, quia natura nostra tota, omnésque animæ nostræ facultates, per defectionem illam Adami corruptæ sunt ac deprauatæ. Mens est excæcata, iudicium peruersum, voluntas & affectus prorsus deformati. Hoc autem loco intelligimus naturæ illam corruptelam: vnde existunt ea quæ actualia vocantur peccata.

Peccatoris resipiscentis meditatio.

Hîc Dauid, dum actuale peccatum suum apud se ponderat, ex eo deducitur ad cognitionem fontis ipsius ac originalis quod vocant peccati. Omnes enim defectiones nostræ particulares, debent nos admonere corruptæ huius ac contaminatæ naturæ nostræ, vt ea semel

inspecta

inſpectā, cõſideratáque eius fœditate, demus operam in primis vt ea perpurgetur, & ad imaginē Dei renouetur. Neque enim contēti eſſe debemus externis actionibus, quãtumuis in ſpeciem præclaris, niſi, inter agēdum, perpetuò ſentiamus animum interiùs reformatum, proficiſcíq; ab interna obedientia omnes actiones noſtras. Deinde, Dauid, agnita ſemel corrupta natura ſua, inde occaſionem arripit exaggerandi coram Deo peccatũ ſuum. At verò Libertini iſti vel hac re ſe excuſant, eleuántque peccatũ ſuum, quòd in peccato illo originis concepti, ac foti ſunt in vtero matris ſuæ. Peccauimus, inquiunt, ſed caro ſumus, quid faciendum? Humanũ eſt labi. Interea temporis nihil de reſipiſcentia cogitãt. At verò Dauidis exemplo diſcimus, hoc ipſo grauius ac fœdius eſſe peccatum quodcumque actuale, quòd à tam fœda ac amara radice profectum ſit. *Alia meditatio eiuſdem, aduerſus Libertinos.*

Hactenus fuit argúmentum à peccato originali, ſequitur deinde argumentum à Dei ipſius natura ſancta, pura, ac ſincera: eam enim ex effécto ſuo innuit. Nam delectatur Deus veritate ac ſinceritate interna: quia ipſe verus ac ſincerus eſt. *En, veritate delectaris in renibus.* Quaſi dicat, Tu, Deus mi, Sanctus es, & purus, delectaríſque ſanctitate ac puritate in reni- *2. Argumentum à natura Dei.*

bus, hoc est, veritate interna: ego tamen meipsum coinquinaui, impurúsque factus sum, vt in superiori argumento ad lucendo factum est, ita in hoc quoque fit. Nam particula ista *En*, attentionem capiat, ac demonstrat digito, quasi ipsi Deo, purissimam ac sincerissimam ipsius naturam, ad hoc vt Deo intuenti ac consideranti suam ipsius naturam, peccato Dauidis tam aduersariam, videatur peccatum Dauidis grauissimum esse, ac fœdissimum. Neque enim vult vllam peccati sui partem Deum celare: existimans hanc vnicam esse peccati tollendi rationem, si totum, quantumcunque est, in conspectum Dei simul ac semel ponatur. Sic enim futurum confidit vt Deus Christi illo merito ac iustitia peccatum ipsius sit tecturus. Neque enim debemus nosmetipsi peccatum nostrum tegere: verùm ipsum sincera confessione ob oculos Dei ponere, vt Deus deinde ipsum tegat. Tum enim demum verè tegitur peccatum, cùm à Deo per Christum integitur. Obserua præterea, quòd ex natura Dei exaggeret peccatum suum. Cognitionem Dei deducere nos ad nostri ipsorum cognitionem, & notitiam Maiestatis illius Dei infinitæ, potentiæ infinitæ, sapientiæ infinitæ, ostendere nobis, quam nihil sumus ipsi: denique cognitionem volunta-

Peccati tollendi vera ratio.

Cognitionis Dei effectum.

tis

tis ipsius sanctissimæ docere nos quàm longè à recta via aberremus. Cùm ipsi nos tantùm contemplamur, videmur nobis esse aliquid: cùm verò oculos nostros ad Maiestatem illam attollimus, protinus sordemus ac vilescimus etiam in oculis nostris. Cùm ignari sumus voluntatis eius, putamus nos omnia rectissimè & velle & agere: verùm inspecta Dei lege cernimus quantum à vero rectóque desciuerimus, Paulus videbatur sibi, cum legem ignoraret, tum verè viuere. *At mandati aduentu*, inquit, *peccatum reuixit: ego verò mortuus sum*. Rursus hîc videmus Dauidem peccatum suum ex reuelata Dei voluntate per Prophetam suum exaggerare. Sunt qui ex Dei decreto æterno illo, ac necessario, hoc est, ex Dei volontate non reuelata, conantur peccatum suum eleuare. *Quid igitur* inquiunt, *adhuc succenset? Nam voluntati eius quis resistit?* Non excusat tamen quenquam voluntas illa Dei non reuelata. Qua enim conscientia potest quis facere quod Deus voluntate sua reuelata faciendum nó esse indicabit? Hoc verò loco exemplo Dauidis discimus ex volútate ea quam nobis reuelauit Deus viuendum esse, neque curiosiùs quærendum de voluntate illa non reuelata: denique maleficiis nostris decretum Dei non esse prætendendum.

Hypocritæ tantùm peccatores esse non putant: cum tamen sint peccatores: sed nos pectus nostra.

Rom. 7. 9.

Ex voluntate Dei reuelata, cognitio peccati.

Rom. 9. 19.

3. Arg. à cognitione sancta & certa, qua imbutus est à Deo,

Sequitur argumentum quo amplificat peccatum suum, tertium, à notitia illa Dei ac voluntatis ipsius, qua imbutus est Dauid. *In occulto*, inquit, *notam feceras mihi sapientiam*, hoc est, familiariter, vt domesticum aliquem, institueras me in cognitione tui ac voluntatis tuę. Ego tamen turpiter adeò à te defeci: quasi verò rudis ac ignarus tui ac legum tuarum. Prodest quidem voluntatem Dei perspectam habere: at verò cognitio Dei ac voluntatis ipsius, peccatum & damnationem aggrauat, si contra cognitionem illam inobediens factus fueris voluntati ipsius. Imò si in peccato, quod est cum cognitione Dei coniunctum, perseueraueris vsque ad finem, melius profectò tecum actum fuisset, si nihil vnquam de Deo voluntatéque eius vel audiuisses vel cognouisses. Cognitio enim illa tua quid futurum est tibi in die illo, nisi testimonium aduersus te? & cognitio ista Euangelij, tam plena & copiosa, quid faciet istis hominibus qui Christum factis negant, aliud in illo die, quàm iustam eorum condemnationem augebit? Hypocritæ enim cuiusque, & eius qui non nisi nomine tenus Christianus est, grauissimum futurum est iudicium: vel ob hoc ipsum Christiani nomen, quod illi tam impudenter mentiuntur, sibíque falsò arrogant.

Cognitio hac, odor mortis ex abutentibus.

Expiato me. Hactenus insertum fuit primum petitionis argumentum, à vera ac simplici cõfessione: nunc redit ad cœptam illam petitionem. Primùm autem, vt antea fecit, remissionem peccatorum implorat, deinde verò regenerationem, quæ cum superiori beneficio necessariò coniuncta est. Quod ad primum igitur beneficium, ait, *Expiato me musco, vt mundus sim*, id est, aspergito me sanguine æterni illius sacrificij Christi, ad hoc, vt purus sim à peccato. Alludit ad aspersionem illam legalem, quæ fiebat sanguine animalium per hyssopi fasciculum, quæq; figurabat aspersionẽ sanguinis Christi. Petit itaque purgationem per sanguinem Christi: neque tamen Sacramentum & typum institutum à Deo contemnit: verùm petit quoque ipsum illud temporarium Sacramentum ad fidem suam magis confirmandam. Nam cùm gratia illa Dei in Christo nec videri possit oculo, neque manu contrectari: Deus, consultum esse volens imbecillitati nostræ, qui non satis ei quod dicitur credimus, nisi corporeis etiam sensibus nostris quodammodo idipsum percipiamus, in symbolis ac Sacramentis, iam inde ab initio, porrexit nobis quasi gratiam suam in Christo videndam oculis, & contrectandam manibus. *Abluito me.* Rursus

Petitionis gratia repetito, constans duabus partibus: remissione peccatorum, & regeneratione spirituali.

Leuit. 14. 7.
Num. 19. 18.

Typorum & Sacramentorum vsus.

Comparatione, petitionis priorem partem explicat.

petit remissionem peccatorum: *abluito me*, inquit, nempe eodem illo sanguine, *vt præ niue albescam*, id est, vt planè purus sim. Verùm hoc comparatè effert, & quidem comparatione facta cum re quæ natura sua albissima est. Comparatio autem fit in minoribus, vt significet nihil, quod in natura est, tam album, purum, mundum esse, quàm est homo, cui semel remissa sunt peccata, & qui semel ablutus est Christi illo sanguine.

Remissio peccatorũ, in quo consistit.

Vide hîc primùm: Dauid dum petit peccatorum remissionem, & pacem conscientiæ, eam petit sub symbolis & figuris lotionum illarum legalium, quibus olim adumbrata est lotio per Christi sanguinem. Videmus itaque Dauidem petiisse remissionem peccatorum in solo Christi sanguine. Nulla vnquam fuit aut in posterum futura est peccatorum remissio, ac proinde conscientiæ tranquillitas, nisi per solum Christi sanguinem, quem certum est veterem illam Ecclesiam, & patres, in sacrificiis & vmbris apprehendisse. fieri quidem potest vt Papistæ, tantisperdum non sentiunt peccati sui, & iræ Dei propter peccatum grauitatem (Nam eorum hominum conscientia, quantum quidem ego iudicare possum, ex ea, quæ ab ipsis quotidiè traditur doctrina, consopita est) fieri,

Inimicorum gratia Dei in Christo stupor horrendus.

fieri, inquam, potest, vt sic ad tempus affecti, vendicent merita sua, indulgentias, purgatoria, & nescio quas satisfactiones, quibus omnibus certum est detrahi aliquid de Christi gratia. Sed si futurum sit vt peccati onere & iræ diuinæ sensu seriò tandem aliquando premantur, sentient profectò ac palàm profitebuntur vana, ac non nisi somnia & nugas esse ista omnia, quæ nunc tantopere prædicant. Tum enim illud experientur, nullam esse absque solo illo Christi sanguine ac sacrificio, vel peccatorum remissionem, vel conscientiæ pacem. Quod vtinam tandem aliquando videant miseri, & discant solo illo sanguine & pacari iram Dei, & tranquillari conscientias miserorum hominum: quæ ipsæ non alia re quàm sensu illo iræ diuinæ inquietantur ac perturbantur. O beatam illam quietem ac pacem, quæ est per solum illum Christi sanguinem!

Vide hoc loco rursus: pollicetur sibi munditiem & albedinem ipsa niuis albedine albiorem, si quidem illud semel obtineat, vt Christi sanguine abluatur. Atque id quidem facit, non eò quod putet futurum, vt remissis semel peccatis nihil reliquum sit futurum peccati & immunditiei in natura sua in posterum: verùm eò quòd existimet, sibique persuadeat Christi *Iustitia Christi perfecta efficacia.*

ſanguine,perfectaque ipſius ſatisfactione, ſemel imputata,peccati reatum omnem ablatum iri,ipſúmque eo loco habitum iri, ac ſi nunquam in vita ſua peccaſſet. Purgationem enim ac lotionem in Chriſto habemus duplicem:vnam quæ eſt per ſanguinem:alteram quæ eſt per Spiritũ Chriſti.Lotio illa quæ eſt per ſanguinẽ Chriſti, perfectiſſima eſt,tranquillátque conſcientias noſtras.Lotio verò iſta quæ eſt per Spiritum, inchoata eſt duntaxat in præſenti hac vita, ac non propriè & per ſe conſciẽtiam tranquillat. Vt dicam verbo, peccatorum remiſſio, quæ eſt per Chriſti ſanguinem, perfecta eſt, & omnibus ſuis numeris abſoluta.Regeneratio verò,quæ fit per Chriſti Spiritum, inchoata duntaxat eſt in hac vita.

Purgatio & ablutio noſtra duplex ſanguis Chriſti remiſſionem peccatorum. Spiritus regeneratioñe confert.

Facito vt audiam. Adhuc perſiſtit in eadem illa petitione. ſenſus eſt, quaſi dicat Teſtare mihi interiùs per SpiritumSanctũ remiſſa eſſe peccata mea : atque ita quidē fiet vt materiam gaudij & lætitiæ ingẽtem ſuggeras mihi. Id eſt,quod aliis verbis effert alibi, *Attolle ſuper nos lucem faciei tuæ Iehoua, & indideris lætitiam animo meo maiorem, quàm temporis quo frumentum eorum & muſtum eorum aucta ſunt.* Nam,vt loquitur Pſal.16.11. *ſatietas gaudiorum eſt ante faciem Dei.* Tum addit in textu,*exultento ſ-*

Ablutionis per ſanguinem Chriſti effectus.

Pſa. 4. 7. &c.

quæ contiueris: quasi dicat, remitte mihi peccata mea, & ego quē humiliasti priùs, tum exultabo lætitia ineffabili. Ineffabile enim est illud gaudium hominis deiecti & humiliati, posteaquā iam erectus est sensu illo misericordiæ, ac fiducia remissionis peccatorum. Sed verba sunt diligētiùs expendenda, *facito*, inquit, *Vt audiam gaudiū.* Quo autem præcone & nuntio? Annō id iā ante à Nathane Propheta annuntiatum est remissa esse Dauidi ipsius peccata? verum est. Sed nihil est omniū hominū externum testimoniū, nisi accedat quoq; internum illud Spiritus Sancti. Quāmobrē hoc loco Dauid requirit internū illud Spiritus S. testimoniū. Remissio enim peccatorū actio est abscondita penitus in mēte Dei. Vt autē nullus nouit ea quæ sūt hominis nisi Spiritus hominis: Ita quę sūt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei: qui vt Paulus ait scrutatur profūditates ipsius Dei. Quare nisi testetur Spiritus Dei Sanctus in cordibus nostris, remissa esse nobis peccata nostra, nullum profectò vel creaturæ vel hominis testimonium nobis illud persuadere poterit. At quo tandem modo testatur Spiritus Sanctus remissa esse nobis peccata nostra? Spiritus Dei Sanctus operatur in cordibus nostris admirabilem dilectionis Dei sensum, &, vt loquitur Paulus, effūdit in cor-

De gaudio piorū eiusdemque denunciatione.

Necessariū adultis fidelibus, de peccatorum remissione, testimonium internum.

1. Cor. 2. 10.

Rom. 5. 5.

dibus nostris charitatem, qua nos Deus in Christo prosequitur. At qualisnam ista charitas? non vulgaris aliqua profectò, sed singularis, & naturalis, vt ita loquare affectio illa quam στοργὴν vocant: talis nimirum affectus animi, qualis est Patris erga vnigenitum suum. Testatur igitur Spiritus Dei paternum ac tenerrimum erga nos affectum. ex quo etiam sequitur testari eũdem Spiritum nos esse Dei filios. Nam si paternum quendam amorem testatur, sequitur vi parium testari eum nos esse Dei filios. Hinc etiam Spiritus adoptionis passim nominatur, nimirũ quòd testetur nos esse Dei filios per adoptionem. Quòd si autem testetur nos esse Dei filios, testatur etiam pariter, remissa esse nobis peccata nostra, & ad nos pertinere cælestem illam hæreditatem Nam si filij, etiam hæredes, hæredes Dei, cohæredes autem Christi. fiunt autem hæc omnia in Christo. Nam extra Christum nullus est amoris erga nos diuini sensus, imò verò extra Christum sensus est duntaxat iræ. Nam natura sumus omnes filij iræ. Quamobrem, si velimus Spiritus Sancti illud testimonium, primum omnium in Christum nobis credendum est. Pij quique hoc experiuntur in tentationibus, quo tempore accusat peccati conscientia, si non tum adsit Christus, nullam

Testimonij Spiritus Sancti præstantia & firmitas.

Rom. 8. 15. 16.

Rom. 8. 17.

In qua Christo fundatur illud testimonium.

nullam sibi pacē animorum, aut tranquillitatem esse: sin adsit Christus, contrà experiuntur pacari sibi conscientiam. Necessitatem hanc tantam præsentiæ Christi dū considerat Apostolus, *Non decreueram*, inquit, *quicquam scire inter vos nisi Christum, & eum crucifixum*. & ad Galatas scribit, *crucifixum esse Christum*, viua Euangelij scilicet prædicatione, *ante oculos ipsorum*. 1.Cor. 2.2. Gal.3.1.

Vide hîc præterea, *fac audiam*, inquit, *gaudium & lætitiam*. Ex peccato non remisso, atque exinde mala conscientia, magna existit animi perturbatio & ingens dolor. Nam si post sensum Peccati nullus pateat aditus ad gratiam, sed contrà sensus sit iræ diuinæ, existunt in animo horrores intolerabiles. Nam omnium inimicorum maximè terribilis est iratus Deus, & horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Verba sunt ista hominum petulantium & securorum, malle se rationem inire cum Deo quàm cum vilissimis alioqui hominibus. Quòd si Deus iratus cum iis aliquando rationem inierit, sentient profectò quá horrendum sit incidere in manus Dei viuentis. Dico igitur, intolerabiles horrores sequi ex peccati non remissi sensu serio, & formidinē illam, qua, vt denuntiat Moses, Impij agitati folij strepitu toti concutiuntur. Is fuit timor Caini, qui abiectus iam à *Peccati sensus quid efficiat.* Leuitic. 26.16. *Exēplū in Caino & impiis.*

facie Dei,séq; destitutum sentiés Dei gratia,cóquestus est, primum quemq; qui ipsi facturus esset obuiã, manus in ipsum iniecturum. Metuunt isti sibi ab omni alia Dei creatura,nullóque in loco sibi tuti esse videntur. Contrà verò ex peccato remisso, & ex bona conscientia, sequitur ingens quoddam gaudium, & pax quæ superat omnem intellectum. Nam remisso semel peccato, sentimus nobis aditum ad Dei gratiam patere, neque dici potest quanta tum lætitia ferueat animus. Atque hæc illa Dauidis lætitia,quam qui non senserũt vnquam in vita, nihilo profectò maiorem lætitiam perceperunt, quàm canes aut equi. Istud quidem ferẽdum esset, quòd homines præsentis duntaxat vitæ gaudia & voluptatem quærunt, si nulla hominibus, perinde atquę brutis animantibus,spes esset alterius vitæ atque immortalitatis. At illud quî potest tolerari, homines ad æternitatem, (vt loquitur Apostolus) cõditos, interea tamen in hac vita, nullo vnquã tẽpore,futurę illius vitę gaudia vel primis(vt aiunt) labris,degustare:sed tanquã belluas tãtùm placere sibi in emolumẽtis ac voluptatibus vitæ præsentis.

Gratiæ in Christo impetratæ effectus.

Belluina vita impiorum.

2.Cor.5.5.

Remissionis peccatorum tertia petitio.

Absconde iratum. Tertiò idem petit, nempe peccatorum remissionem. Nam qui leuiter & perfunctoriè petit sibi remitti

mitti peccata, is nondum didicit quàm horribilis ſit Dei offenſio: neque quàm ſuauis ſit ſenſus amoris ac miſericordiæ eius. Diuinæ enim miſericordiæ ſenſus, efficit triſtitiam ſecundũ Deum, hoc eſt, eum qui eſt propter offẽſum patrẽ tam clemẽtem. Ex hac triſtitia rurſus eſt conuerſio ad Deum, odium peccati, & amor iuſtitiæ, cum confeſſione peccati & crebra Dei inuocatione, quæ eò ſpectat vt peccatum ipſa aboleat. Sed vt ad rem veniamus: *Abſconde*, inquit, *iratam faciem tuam à peccatis meis, & dele iniquitates meas*, hoc eſt, ne habeto ante oculos tuos peccata mea, ſed expunge ea ex tabulis tuis. Loquitur enim de iis, ac ſi in tabulis exarata verſarentur perpetuò in conſpectu Dei, quod quidem peccatori intolerabile videtur. Neque enim, ſi nudi obuerſemur Dei oculis, hoc eſt non induti Chriſto eiúſque iuſtitia, irati Dei aſpectum ſuſtinere poſſumus. Verùm de ira Dei ſic pauci. Ira Dei propter ipſius Dei ſanctitatem inuiolabilem, tum propter peccati magnitudinem, horribilis eſt adeò, vt à creatura ſuſtineri nequaquam poſſit. Nam cùm peccatum ſit violatio quædam ſacroſanctæ illius Maieſtatis, an mirum eſt tam horribilem eſſe iram tantæ Maieſtatis iam violatæ vendicem ac vltricem? Hinc idem

Turpitudo naturæ noſtræ coram Deo, niſi iuſtitia Chriſti induamur.

De ira Dei, locus.

Dauid Deum appellat ignem consumentem: & alibi ait, *Si obseruaueris iniquita-*
Psal. 130 3. *tes nostras, Iehoua, quis sustinebit?* Finge tibi omnes res creatas, omnia mundi imperia, vnà conspirare ad sustinendum & portandum quasi manibus suis hominem eum cui infensus sit Deus: is tamen iram illam Dei tolerare nō poterit. Quemadmodum enim si Deus sua manu fulciat aliquem, eúmque interius suo Spiritu consoletur, is iam nulla vi opprimi poterit: (*Premimur,*
2. Cor. 4.8. inquit Paulus, *at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus: persequutionem patimur, at in ea non deserimur: deiicimur, at non perimus: quolibet mortificationem Domini in corpore circumferentes, Vt etiam Vita illa Iesu, in corpore nostro manifesta fiat.*) Ita si Deus ostendat se iratum cuiquam, is iam nulla vi sustineri poterit, terrebitur vel folij arboris agitatione, nedum motu aliquo maiori. Quam quidem iram cùm sensisset Dauid, ferre eam amplius non potuit, ipsámque deprecatus est his verbis, *Absconde iratam faciem tuam à peccatis meis.*

Pij quomodo nōnunquam affliciantur, & quo fine. Habes igitur, exemplo Dauidis, etiam eos quos tamen charos habet Dominus, non esse nonnunquam absque graui aliquo sensu iræ diuinæ, ob peccata sua: quod quidem ideo fit, vt ad naturæ diuinæ cognitio-

gnitionem ipsi perueniant, cognoscantque, *Primùm*, quòd bonus sit, qui non vult suos torpere in peccatis suis: *Deinde*, quòd sanctus sit ac iustus, vt qui incipiat iudicium à domo sua, & nolit conniuere, ne ad peccata quidem suorum. Illud enim verè possum affirmare, pios quosque vt plurimùm castigari à Deo in hac vita: Deúmque erga impios maximè longanimum esse. Verùm pij vicissim amoris diuini sensu in hac vita afficiuntur. Vnde etiam existit illa doloris & gaudij in vita ista vicissitudo. At verò impij longanimitate eius abusi in hac vita, in altera tandem sentient Dei iram implacabilem.

Discrimen piorum & impiorum.

Hactenus fuit repetita petitio remissionis peccatorum. Nunc petit alterum illud beneficiũ Regenerationis quod cũ peccatorum remissione necessitate coniunctum est. *Animum mundum*, inquit, *crea in me.* Tum, per expexegesin, continuò subiungit, *Spiritum firmum renoua intra me*: quasi dicat, opus illud Regenerationis, per Spiritum tuum in me inchoatum, à me verò interruptum, Deus, renoua ac repara in me, vt Spiritus hic inposterum sit firmus constánsque, & ego eius beneficio perseuerem in obsequio tuo. In nobis Deo reconciliandis necesse est sint duo beneficia quæ ipsa promittit nobis Deus in fœde-

Absoluta tractatione de remißione peccatorum toties repetita: sequitur locus de regeneratione. Iustificatio enim & sanctificatiõ cohærent.

Ier.31.33. &c.

re gratuito, nempe peccatorum Remissio, & Regeneratio: vtrumque autem obtinetur in Christo. Nam per Christi sanguinem remittuntur peccata nostra, & per Christi Spiritum S. efficacem regeneramur. Vnus enim, idémque Christus, vt Sacerdos, mortuus est pro peccatis nostris: & vt Rex, efficax est ad nos per Spiritum suum & verbum regenerandos. Dauid itaque, postquam remissionem peccatorum in Christo petiuit, regenerationem ac renouationem interrupti illius operis Spiritus Sancti in se implorat.

Operibus bonis exhilaratur Spiritus Dei, & malis contristatur. *Eph. 4. 30.*

Vide hîc primùm: operibus bonis, & ex operibus bonis & bona conscientia sic exhilarari Spiritum Dei, vt alacriter progrediatur in Regenerationis nostri opere. Contrà verò operibus malis, teste Apostolo, ita affici tristitia Spiritum Dei, vt ab opere suo quasi cesset, & incœptum illud Regenerationis opus intermittat. Intermittente iam Spiritu opus suum, statim oboriuntur tenebræ in mente, quæ efficiunt vt dispareat, & ex oculis nostris euanescat lux illa faciei diuinæ: statim etiam quasi callus quidam obdurescit cor nostrum, stupidúmque redditur, ac sine sensu, adeò vt non nisi difficulter exsuscitetur admodum rursus ille Dei Spiritus, veluti oppressus mentis tenebris & cor-

Status hominis quãdo destituitur præsetia Spiritus S.

dis

s dutitie. Atque hinc sunt illi gemitus
: suspiria piorum, cum tenebris mentis ac
uritia cordis sui luctantium. Hinc illa vox Rom. 7.
auli, Miser ego homo, quis me eripiet ex 24.
to corpore mortis?

Vide hîc rursus, Dauid non nisi petita *Ordo piarum precum.*
riùs peccatorum remissione per Christi
anguinem, Regenerationem per Christi
piritum petit. hic ordo petitionum satis
rguit, oportere nos priùs iustificari in
Christo, quàm sanctificemur in nobis: id
uod postulat etiam iustitia Dei, quæ non
atitur vt reparetur in nobis imago Dei,
uæ est secundùm iustitiam ac sanctimo-
iam, priusquam Deo pro peccatis omni-
us nostris sit satisfactum. Deus enim iu-
titiæ suæ renuntiare non potest. Postquã
utem iam iustificatus es, tum locus est re-
enerationi eiúsque petitioni: non qui-
em vt eam iam consecutus in ea præci- *Perfectio piorum in hac vita, in eo consistit vt se imperfectos in seipsis, perfectos autem in imputata Christi iustitia esse agnoscant.*
uè conquiescas: verùm conquiescendum
bi est præcipuè ac perpetuò in perfectis-
ma illa Christi iustitia, sine qua non au-
et in conspectum Dei prodire ne omnis
uidem ista quæ in nobis est sanctitas. Re-
eneratio enim & Sanctitas nostra in hac
ita inchoata est duntaxat, & per se neque
am Dei pacat, neque conscientias no-
ras tranquillat. Atque eò miseriores sunt
ontificij, qui præterita hac Christi iusti-

tia perfectissima acquiescere volũt in sua, & ea quam vocant inhærente: & eò rursus miseriores sunt, quòd non intelligant inhærentem hanc iustitiam, quæ nihil aliud est reipsa quàm naturæ nostræ Regeneratio, in hac vita duntaxat inchoatam esse. Quare orandus est Deus, ne nos sinat tenebris istis rursus inuolui, neque patiatur seduci nos ab hominibus qui in tam clara luce hodierno die cæcutiunt.

Petitionis piæ continuatio. *Ne abiicias.* Persistit in secunda illa petitione Spiritus Sancti, & Regenerationis. *Ne abiicias me*, inquit, *à facie tua:* tum idem clariùs exprimens, *Spiritum Sanctum tuum*, inquit, *ne recipias à me.* Nihil grauius homini contingere potest in vita, quàm si à Deo deseratur. Nam cùm Deus sit fons omnium bonorum, Deo deserente hominem, & omnia simul bona eum deserunt. deserentibus eum omnibus rebus bonis, pariter omnibus malis expositus est. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Ne ea quidem quæ maximè infensa ac contraria videntur esse. Diligentibus enim Deum omnia conferunt in bonum: contrà, non diligentibus Deum omnia conferunt in malum, etiam ea quæ alioqui pro nobis facere videntur. Quamuis autem tantum in desertione Dei malum sit, tamen etiam electi ipsi nonnunquam destituuntur Dei

Ratio eiusdem.

Spi-

Spiritu, id quod docet nos Dauid hoc loco suo ipsius exemplo. Non equidem hoc dico, ideò quòd sentiam Dei Spiritum, electis semel datum, deinde ab iis prorsus auferri: Nam dona & vocatio Dei ἀμεταμέλητα sunt. verùm quòd ad certum tẽpus non conspiciatur in tegendis electis Spiritus Sancti efficacia, idque in eum præsertim finem, vt ipsi humilientur, discántque non posse se vel ad momentum vnum cõsistere, nisi gratia Dei ac Spiritu eius sustẽtentur. Quo fit vt electi, posteaquã experti sunt, quàm naturâ suâ absque Dei Spiritu infirmi sint ac fragiles, iam eo ad tempus destituti, eius præsentiam & auxilium magis anxiè & ardẽtiorib. votis implorẽt, quã vnquã antea. Hoc enim secundum illud est quod hîc offert nobis suo exẽplo discendũ.

Quomodo Spiritus sanctus auferri & dari dicatur.

Tertium autem, quod eius exemplo hîc discimus, est, quòd tristissima sit illa desertio, qua cũ qui semel derelictus est à Deo, idque iustissimo ipsius iudicio, deserente nimirum eum Deo ob peccatum suum, atque derelictus iã ac desertus, in pœnis hæret, quas peccato suo meritus est: neque tamen interea vel mens illuminatur Dei Spiritu, vel cor reformatur. Verùm quãtò magis eo innititur, tantò magis excæcatur ac induratur. Istiusmodi n. homini paratũ est extremũ exitium, nisi tandẽ resipuerit. De

Grauissimum peccatorum supplicium.

hoc hominum genere intelligenda est illa
Matth. 3. 10. cōminatio. Ioan. Baptistę, *securis ad radicem arborum posita est.* Item illa Pauli, Cùm e-
1. Thess. 5. 3. nim dicent, pax & tuta omnia, tum repentinum imminebit exitium. Ex hoc autem Dauidis exemplo apparet, Deum suos ferè non deserere tam tristi desertione. Nam Dauid ad Nathanis cōminationem quàm primùm resipuit: suos enim Deus cùm affligit, simul etiam illuminat atque immutat suo Spiritu, vt resipiscētes accipiant remissionē peccatorū, & ad vitā restituantur.

Electorum Dei conditio.

Redde mihi gaudium. Adhuc persistit in petitione Spiritus Sancti, vel præsentiæ Dei per Spiritum suum, q. d. perceperam equidem, mi Deus, ingentem lætitiam ex salute tua, hoc est, ex eo quod tu fueras salus mea, protector ac defensor. Nunc verò mea culpa, vniuersa illa lætitia intermissa est. Redde itaque mihi, Deus, solitam illam ex præsentia tua lætitiam. Vnica hominis consolatio ac solidum gaudium tam in vita quàm in morte est, quòd non sit sui iuris, sibíque derelictus; verùm Domini sit, habeátque eum quasi protectorem ac defensorem suum. Dauid, cùm experiretur Deum non secus ipsi custodem esse, quàm Pastorem oui, dici non potest, quantum inde gaudij conceperit, quod etiam erupit in hæc verba, *Virga tua, & pedum tuum, ipsa*

Petitionis repetitio, à fructu præsentiæ Spiritus S.

Solidum gaudium ac consolatio certa piorum.

Psalm. 23. 1. &c.

ipsa me consolantur. Gaudium istud spirituale, quod est ex Dei pręsẽtia, quisquis semel degustauit, is non contentus erit vniuerso huius mundi gaudio, nisi simul cælestis illius aliquo certè modo particeps factus fuerit. Dauid profectò omnem mũdi consolationem respuisset, & regnum suum ac decus illud regium pro nihilo habuisset, si non restitutum fuisset ei vetus illud ac assuetum gaudium suum, quod erat ex Dei pręsentia per Spiritũ suũ sãctũ. Quòd si nõ prouocaremus ad irã præsentẽ nobis Dominum, neque Spiritum eius sanctum tristitia afficeremus, profectò magis solidum ac constãs illud Spiritus gaudium haberemus. Inde enim est eius interruptio quòd nos à Deo deficiamus. Habuit Dauid præsentem sibi Deum, habuit consolatorem Spiritum. At postquam commisso adulterio simul ac homicidio à Deo suo defecisset, priuauit se & Dei præsentiâ & solida illa ex præsentiæ ipsius consolatione. Homines vulgò, quantis possunt viribus, ad iram prouocant sanctam illam Dei Maiestatem: sed fit tamen nescio quomodo vt videantur sibi interea securè agere & satis magna cum voluptate viuere, atque inani somnio se oblectent. Neque enim dicente Domino, vlla pax improbis est: de vera loquor. Nam stuporem istum, quo fit vt

Gaudij nostri turbatio & eclipsis, vnde.

Pax seu securitas impiorum qualis.

neque offensionem suam, neque iram Dei persentiscant, pacem non appellarim: quod & ipsi suo malo discent aliquando, cùm repentè quasi ex lethargo isto expergefacti, iratam illam faciem ac terribilem aspectum cogentur intueri.

Fulcrum tutissimũ & exoptatissimum, Spiritus S. praesentia.

Et spiritu. Eadẽ est sententia horum verborum quæ & priorum fuit: nam ita demũ sentimus præsentem Deum, salutem eius, lætitiã ex eo, si Spiritu ipsius sustineamur. Metuit sibi Dauid ab affectibus animi sui, ne iis tanquam inundatione quadam obruatur. Petit, itaque vt Deus ipsum suo Spiritu sustentet. Vt enim, vter si magnus iniiciatur in aquam, statim incurrente in eum aqua submergitur: sin verò infletur priùs, aëre incluso, quàm iniiciatur in aquã, iam fluitat in aquæ summitate: Ita animus noster si vacu⁹ Dei Spiritus maneat, in mediis quasi affectionũ nostrarũ fluctibus statim obruitur: sin verò Dei Spiritu afflatus sit, eum ab affectibus vinci impossibile est. Viderit quisque quali-nam sit animo, inani-ne an vacuo, an verò pleno, & Dei Spiritu afflato. Spiritum hunc ingenuitatis nominat, vel libertatis. Nominis rationem vt intelligamus, sciendum est ex 8. ad Rom. duplicem esse Spiritum, vel potius vnius eiusdémque Dei Spiritus effectum duplicem, priorem vocat Apostolus

Spiritus ingenuitatis, vel libertatis, quid.

Spiritum

Spiritum seuitutis ad metum, hoc est, qui ad legis prædicationem afficit nos sensu peccati ac miseriæ nostræ. Nisi enim cum legis prædicatione efficax esset Dei Spiritus in animis nostris, profectò legis prædicatione sola nunquam afficeremur seriò sensu peccati ac miseriæ nostræ. Efficit igitur hic Spiritus, vt peccatum ac miseriam nostram agnoscamus, nósque continet sub metu iræ Dei, mortis ac condemnationis: ideóque nos redigit quasi in conditionem planè seruilem. Illud enim antiquitùs seruorum proprium fuit, pœnam ac vindictam perpetuò à dominis suis metuere. Alterum illum Spiritum vocat Apostolus Spiritum adoptionis. Is est qui dum prędicatur Euangelium efficit vt agnoscamus nostri à peccato & à miseria liberationem. Nulla enim vnquam Euangelij prædicatione sic afficeremur, nisi in nobis efficax esset interea Spiritus Dei, qui facit vt agnoscamus liberationem nostri à peccato & miseria, sentiamúsque animo paternum illum erga nos Dei affectum, ac proinde testatum apud nos relinquit, nos esse Dei filios. Quòd si filios, liberatos etiam à peccato, ira, & damnatione. Hinc ingenuitatis siue libertatis Spiritus appellatur, quòd nos in Christo à peccato & morte liberatos esse testetur.

Spiritus seruitutis.

Spiritus adoptionis seruili oppositus.

Altera causa huius denominationis. Est & altera causa, cur ita nominetur, nempe, quia ad imaginem Dei animum nostrum renouando, facit interea vt Deo liberè seruiamus, & in libertate Spiritus ambulemus. Nullum enim natura est liberum arbitrium: sed vbi Spiritus Dei, ibi libertas, inquit Paulus. Atque ea est beata illa libertas Christiana, qua ita liberamur vt Deo seruiamus, non autem vt pro arbitratu nostro viuamus, qualem libertatem mentiuntur Epicurei isti, & Libertini? neque tamen cogitandum est nos hoc Spiritu ad officium cogi, sed volentes duci. Voluntarios enim diligit Dominus, ait Dauid alio loco. Verùm, in hac vita, inchoatur duntaxat ista libertas, quæ in altera demum perficietur.

2. Cor. 3. 17.

De libertate vera & falsa.

Ingenuitas, seu regia dignitas electorum Dei, adoptionis Spiritu fiunt participes. Sed adhuc paulò diligentius notandũ est hoc ingenuitatis verbum: sonat enim libertatem non vulgarem aliquem, sed singularem ac nobilem, qualis est filij Nobilis ac Regis. Neque ineptè accommodatum est hoc verbum ad institutum præsens. Nã filij sumus Regis verè Nobilis. Regis Regum, & summi Dei. Quisquis enim eius Spiritu regeneratus est, eius in Christo filius est, licèt alioqui (si humana ista spectemus) terræ filius sit, tamen nobilis est, & nobilior quouis Rege, qui primam tãtum naturam habet, & Spiritu Sancto non est

eſt regenitus. Regenitus enim, vt hoc cum Petro dicã 2. Epiſt. 1. factus eſt conſors, diuinæ naturæ longè nobiliſſimæ. Nobilitatẽ iſtam Ioannes magnifecit, cùm diceret, quotquot λόγον receperunt, datam eſſe iis hanc dignitatem, vt filij Dei fierent. Ecce, dignitatem vocat eam conditionẽ in quã euecti ſunt filij Dei: quam ſi ſatis diligenter animaduerterẽt homines, non adeò ſe fatigauerint iſtis quæ Apoſtolus carnalia vocat, vt ſunt genus, diuitiæ, honores, quàm quærerent nouam in Christo creaturam. Nam vetera tranſierunt, & noua facta ſunt omnia. Atque hactenus petitio duplex fuit. Prior remiſſionis peccatorum, poſterior regenerationis. Nunc ſequitur petitionis vtriuſque commune argumentum à proximorum ædificatione. *Docebo* inquit, *defectores, vias tuas.* quaſi dicat, ſi impetrauero à te, mi Deus, quod peto, aliis ero præco miſericordiæ tuæ erga peccatores infinitæ atque immenſæ, *Vias tuas*, dicit, non meas, cuiuſmodi erant homicidiũ, adulterium, &c. Nam hæ tũ erant viæ Dauidis, ad quas quidem prætendendas malefactis ſuis, vulgò ingenioſi ſunt homines, qui nihil quærunt aliud, quàm peccandi licẽtiam, eámque, ſub prætextu aliquo: cùm tamen à Dauide non ſit ipſis propoſitum hoc vitæ ſuæ exemplũ quod ſequan-

Ioan. 1. 12.

2. Cor. 5.

Petitionis vtriuſque, iuſtificationis nempe & ſanctificationis commune argumentum. ab Eccleſia ædificatione.

Via Dei & hominis.

tur, quinimo propositæ sunt iis viæ Dei, hoc est, misericordiæ ipsius ineffabiles erga peccatores : quod vel ex eo apparet, quòd, vbi peccatum abundauit, gratia superabundat. Viæ Dei homini per naturam ignotæ sunt, præsertim autem viæ illius infinitæ in Christo suo misericordię, de qua, ne suspicari quidem vnquam natura potuit. Posteaquam autem, præter naturam, & contra naturam, reuelata est, tamen tremente conscientia peccati, & iræ diuinæ sensus, sic nubes quasi inter aspectum ipsius & Dei gratiam media interiicitur, vt non nisi difficillimè eam queat videre. Tum enim moles peccati tanta assurgit, vt diuinæ gratiæ aspectum ferè omnem ei præripiat. Suadet interea infidelitas, quæ à natura est, vt de misericordia Dei desperemus: denique mille impedimenta sese ingerunt, quæ omnia efficiunt vt ad lucem illam diuinæ gratiæ cæcutiamus, adeò vt experiamur quàm difficile sit, homini prę sertim qui peccati sui sensu seriò afficitur, Dei illam in Christo misericordiam ob oculos habere. De eo enim loquor qui peccati sui sensu afficitur. Nam alij qui dum peccant & grauiter quidem peccant, non tamen sentiunt se peccare, verbo quidem pollicentur sibi Dei in Christo misericordiam, eam tamen reipsa non

Præsertim hominis sensu peccatorum suorum expertis.

non sentiunt. Facile enim est securo alicui & peccato quasi suo indormienti, per somnium nihil non sibi promittere. Deus igitur volens peccatoribus consultum esse, in tanta hac difficultate perceptionis gratiæ, exemplo nobis voluit relinqui misericordiæ illius suæ, qua condonantur peccata etiam grauissima, cuiusmodi est hoc in Dauide diuinæ misericordiæ exemplum, eò magis insigne, quòd grauia peccata eius, vt homicidium, adulterium, &c. grauiora erant: grauiora autem erant, eo ipso quod Rex erat. Paulus Apostolus 1. Timoth. 1. 16. profitetur quidē se primum esse omnium peccatorum, vt pote blasphemum persequutorem, iniurium. *Verùm* inquit, *ideo misertus est mei Deus, vt in me primo proderet Iesus Christus omnē clementiam, vt exemplo essem crediturius ipsi in vitam æternam.* Hanc adducendi homines ad gratiam rationem, quæ est per experientiam, & per exemplum suum, proculdubio Deus omnes, quotquot experti sunt vnquam ipsius misericordiam, vult sequi, & aliis gustum illum gratiæ libenter communicare, quem ipsi priores perceperūt: id quod pollicetur Dauid hoc loco se facturum: *Docebo*, inquit, *defectores, vias tuas.*

Dauid, illustre est misericordiæ diuinæ exemplum vt & Paulus.

Hoc loco obseruabis, pios, cùm Deus, apprehensa quasi eorum manu, ipsos

Egregium communionis sanctorū emblema.

erigit, aliis subleuandis alteram quasi manum suam porrigere, quo & ipsi eiusdem gratiæ participes fiant: dum Christus ad se vocat eos, ipsi pariter alios vocant, vt ad ipsum simul veniant, iuxta illud Christi ad Petrum mandatum. *Cùm tu conuersus fueris, confirma alios.* Vera etenim fides non sui tantùm studiosa est, sed imprimis ex zelo quodam gloriæ Dei aliorum salutem promouet, finis est instituti ipsius: nempe vt alij peccatores conuertantur ad Deum, & resipiscant. Hunc enim finem respexit Dauid in docendo alios, nempe, Dei misericordiam erga peccatores, vt & ij resipiscerent, moti nimirū sensu illo diuinæ erga ipsos misericordiæ. Ex quo illud apparet, gustum aliquem misericordiæ Dei, conuersionem ad Deū antecedere, & fidem resipiscentiæ causam esse. Neque enim potest fieri, vt homines ad Deum conuertantur, nisi sensu aliquo ipsius paternæ dilectionis allecti.

Fides resipiscentiæ causa.

Libera me à sanguine, Iam tertia vice repetit petitionem illam remissionis peccatorum: perpetuò enim pungit hominem conscientiæ facinoris sui, & naturæ ista infidelitas, fidem ac Spiritum quo persuasum habet peccatorum suorum remissionem conatur extinguere: ideóque clamando, atque iterum clamando cum naturæ infidelitate

Tertia repetitio petitionis illius de remissione peccatorū.

delitate luctatur. Nemo enim est omnium nostrûm qui petiturus à Deo est peccatorũ remissionem, sine lucta aliqua. de eo loquor qui ex fide & serio sensu petiturus est. Nam facile est homini securo & nihil cogitanti de peccato & miseria perfunctoriè peccatorum suorum remissionem petere, ídque non iteratò, sed semel duntaxat. Deus, inquit, ieiunè admodum & frigidè, esto mihi propitius. Dauid igitur nũc tertiò petit peccati sui veniam & remissionem: peccatum autem suum in specie designat. Cùm enim vrget conscientia peccati, tum non pudet illud in specie & nominare, & palàm etiam profiteri. Quod autem homines vulgò pudeat peccata sua nominatim designare, eáque cõfiteri, prouenit id ex eo, quòd non sit peccatorum sensus serius & conscientia.

De speciali peccato Dauidis, eiusdémque confeßione.

Sed videamus, quodnam fuerit in specie peccatum Dauidis. *Libera me*, inquit, *à sanguine*: hoc est, à reatu sanguinis. Videtur enim conscientia homicidij sui mouisse hominem maximè. Nam hoc eum cruciauit, quòd cuius vxorem per adulterium polluerat, turpiter eum interfecerit, & peccatum peccato cumulauerit. Petit igitur vt liberetur à sanguine, nõ secus ac si sanguine illo innocentis hominis totus contaminetur: qui & ipsi vsque adeò tenaciter

adhæreat, vt, nisi Dei ipsius manu abstergatur, abstergi & ablui omnino, nõ queat. Nã perpetrato semel homicidio, & facta cæde innocẽtis hominis, totus sanguis qui effunditur in homicidam, quasi redondat, atque eum non secus intingit, ac lanam purpura. Si peccata vestra, ait Dominus,
Esai.1.18. instar coccini fuerint, tamen alba efficiam vt niuem: quasi dicat, etsi essetis intincti tanquam coccino, copioso illo sanguine à vobis effuso (dixit enim priùs, manus eorum sanguinolentas esse,) tamen reddam vos albos, vt niuem. Sic autẽ intinctus & illius sanguine innocentis hominis, homicida perpetuò apparet in conspectu Dei: Deus autẽ è tribunali suo cũ horribili vultu intuetur ob violatã tum imaginẽ suam, tum communem omnium hominum naturam. hunc Dei vultum non potest effugere homicida vbicunq; locorũ degat. Verùm, is est nostrorum homicidarũ stupor, vt hoc nihil sentiãt. Dauid quoque ad tẽpus peccato suo indormiebat, neque vidit se cruore innocentis hominis suffusum, neque etiã vidit iratam illam Dei faciem: sed ad cõminationem Prophetæ tandẽ excitatus, ferre diutius non potuit sanguine illo ita se inifici, neque etiã ferre potuit, ita se infectum sanguine irati oculi obuersari, atque obiici: verùm multoties clamauit, periique vt Deus

Homicidarum scelus horrendum, & detestanda durities, atque in malo perseuerantia.

vt Deus remitteret sibi peccatum, vt lauaret ipsum, vt liberaret ipsum à sanguine. Quod vtinam homicidæ isti, qui nulla conscientia vel facti sui vel iræ Dei ducuntur, neque finem faciunt cædium ac oppressionum, videant tandem cruentatas manus suas, videant etiam Deum eas videre, quas profectò videt, & videbit tandem aliquando, cùm supplicium de iis sumpturus est, nisi resipuerint tempestiuè.

Sensus iræ Dei homicidij conscientiæ adiunctum.

Ex sensu aliquo iræ videtur Dauid exclamare, vt liberetur à sanguine. Sensus enim sanguinis innocẽtis & iræ sensus simul sunt perpetuò. Inclamat tamẽ Deum. Deũ salutis suæ. Ex qua tam familiari compellatione illud satis apparet, simul sensisse Dauidem Dei sui misericordiam. Fideles enim simul eodémque tempore, & sensu aliquo iræ, & sensu misericordiæ diuinæ affici solent: qua quidem re differunt fideles ab infidelibus. Fideles enim vtrũq; sentiũt & iram & misericordiam Dei sui certo aliquo modo, ac quo tempore metuũt sibi ab ira & irato Deo, eodem tẽpore ipsi adhærescunt, neque se ab eius verbo & promissionibus diuelli patiuntur: Ex quibus pendent, tanquã ex petra aliqua in summa vndarum iactatione. At verò infideles, quo tempore percipiunt irã, nulla interea temporis est perceptio gratiæ, & dum apertos

Sensus varius electorum & reproborum.

vident inferos quibus iamiam absorbeantur, nihil habent interea cui adhæreant, vel quod quasi extensa manu apprehendant, non Deum, non Dei in Christo promissiones, ex quo existunt horrores ineffabiles, quibus nulla consolatio sit admixta. Tum quidem beatos coguntur existimare eos, qui in hac vita didicerunt ad Deum fide appropinquare & Christum & promissiones in eo factas apprehendere.

Petitionis misericordiæ argumentum vltimum, Dei gloria.

Cantet lingua. Sequitur petitionis argumentum vltimum à Dei ipsius gloria, quasi dicat, Domine, totum opus hoc gloriæ tuæ, in tuam ipsius gloriam redundaturum est: Quare libera me. Verba textus sunt, *Cantabit lingua mea iustitiam tuam*: hoc est, misericordiam, quam hîc iustitiã ideo vocat, quod secũdùm Dei promissionem fiat. quod enim secundùm promissionem suam efficit Deus, id iustè efficit. Addit prçterea, *Domine, labia mea aperias*: hoc est, suggere mihi materiam laudis tuæ ex peccatorum remissione atque liberatione, & tum, *os meum annuntiabit laudem illam tuam.* Nota quid faciat iam liberatus à peccato & damnatione. Damnatus Deum laudare non potest. *Quis*, inquit, *in inferno celebrabit te*? Satis autem compertum habuit Dauid, ea Deum esse naturâ & ingenio, vt omnia opera sua velit in suam ipsius gloriam redũdare,

Iustitia Dei.

dare,beneficiorúmque suorum fructum ad se redire: atque inde est quod non promiscuè, ac sine delectu, beneficia sua quibusvis communicet. loquor maximè de spiritualibus: nam temporaria ista & corporalia etiam reprobis impertit. At verò Christum & beneficia ipsius non nisi fidelibus largitur. In his enim solis assequitur beneficiorũ suorũ finẽ,& ij duntaxat qui fide ea recipiunt,datorẽ illum Deum glorificant.

Quid, inquies, an per laudes nostras à nobis profectas aliquid diuinæ gloriæ accedit? Respõdeo, Deũ quidẽ in se esse perfectissimum,& omni sufficientem,eiúsque gloriã in se perfectã cõsistere,sine ope creaturę cuiusquam,sine qua, Pater glorificat Filium,Filius patrẽ, Pater & Filius Spiritũ Sanctum,Spiritus Sãctus Patrẽ & Filiũ,verùm ideò Deus postulat à creatura suã gloriã:quòd iustus sit. Iustitia autem eius postulat vt creatura creatorẽ suum agnoscat, omniúmq; bonorũ fontẽ illũ in beneficiis suis glorificet.Illud autẽ boni quod in Dei celebratione est,ad creaturã pertinet: cuius felicitas in eo consistit, vt Creatorẽ ac Redemptorem suum Deum omnibus officiis colat. Atque id quidem pij quique in sese ipsi experiuntur. Si quando enim cor sibi non sentiunt solui in Dei laudes, tum nulla profectò est consolatio,nullum gau-

An laudes nostra aliquid Deo conferant.

dium. Contrà verò, si quando cor sibi affici sentiunt ad Creatorem suum celebrandum, ad petendum ab eo id omne quo opus habent, ad agendum ei gratias pro acceptis beneficiis, tum demum beati sibi videntur esse.

De sacrificiis & ceremoniis externis, locus.

Nam non delectaris Dixit Dauid annunciaturum se laudes Dei, cantaturum linguâ iustitiam Dei, qui quidem cultus non nisi spiritualis est & internus. Quærit itaque potuit de sacrificiis & externis ceremoniis, Annon & illis, celebraturus sit Deum? Quæstionem hanc occupat, eíque respondet his verbis. *Non delectaris sacrificiis*: q. d. non tam delectatur Deus cultu externo quàm interno, qui cernitur in Spiritu & veritate. Non tam delectatur sacrificio ac immolatione bestiarum, quàm interna cordis obedientia, & sanctificatione interiori, qua fit, vt homines sistant se Deo victimam sanctam, viuam, & Deo placentem, Rom. 12. Verùm, adhuc obiici potest, Cùm sacrificia sint ex ipsius instituto & mandato, cùm Dauid non nisi sub legis pædagogia vixerit, nondum manifestato in carne Christo, quî fit vt Dauid vel detrectet ipse externa illa religionis exercitia, vel Deum pronuntiet iis nō delectari? Respondeo, non simpliciter intelligenda esse verba, neque absolutè prolata esse: verùm

comparatè, facta nimirum comparatione externi cultus cum interno, cuius quidem respectu externus non est magnifaciédus. Psalm.50. Sic ipse Deus profitetur se non ita labora- 14. re sacrificiorum nomine, modò ipsi laudes offerantur, & sacrificentur. Samuel Saulé 1. Sam.15. obiurgat, quòd putarat Deum holocausto 22. magis delectari, quàm obedientia: *An delectatur, inquit, Iehoua holocausto, vt cùm auscultatur ei? Ecce, auscultare est melius sacrificio, & attendere melius pinguedine arietum.*

Est & alia responsio aliorum, quam equidem non reiicio, nempe Dauidem istic loqui de sacrificiorum abusu. Lex docebat sacrificiis expiari peccata, vt peccatores diffisi meritis & operibus suis, confiderét soli illi Christi sacrificio, cuius quidem typi fuerant omnia illa Leuitica sacrificia: & vt fides eorum, in futurum, illo Christi sacrificio confirmaretur. Hic sanè vsus fuit veterum sacrificiorum genuinus. At verò homines, neglecto Christi sacrificio, neglecta fide & resipiscentia, neglecto denique cultu interno, sacrificiis oblatis, & externis ritibus, tanquam meritis, præfidebant. Dicit itaque Deum non delectari abusu isto sacrificiorum, quem etiã Esa. 1. Deus se abominari dicit. Externa illa religionis exercitia in verbo audien-

De abusu cultus externi.

do, in Sacramentis adminiſtrandis, & participandis, à Deo quidem præſcripta ſunt: ſed ſi non adſit cultus animi internus, fides, reſipiſcentia, bona opera, nihil ſunt externa iſta omnia, Deus his non delectatur, imò verò abominatur ea. De ſacrificiis hoc tantùm admoneo hoc loco, fuiſſe, iſta præſertim quæ vocantur propitiatoria, totidem typos & figuras vnici illius ſacrificij Chriſti, in quod traducenda erant peccata mundi, & execratio Dei. Ex quo apparet quanta ſit huius victimæ excellentia, cui tot victimæ à mundo condito, tanquam vmbræ totidem immolatæ inſeruierunt. Nulla vnquam res fuit, de qua tot extiterint prædictiones, tot fuerint ſignificationes apud Iudæos. Non præteriit vel vnus dies, in quo non ipſa repræſentata eſt manè & veſperi, in illo nimirum ſacrificio iugi. Atque id conuincit excellentiſſimam eſſe hanc victimam, ſumméque neceſſariam, quam nullo vnquam tempore pateremur ex oculis noſtris diſcedere, quam etiam oportuit in vmbris quibuſdam iam inde ab ipſo lapſu Adami ad tempus illud, quo Chriſtus eſt exhibitus, patribus noſtris repræſentari. Nam illi in ſacrificiis ſuis aliud intuebantur quàm ſanguinem belluarum, ſanguinem nimirum filij Dei, quem etiam interpoſuerent inter ſe & iratum

Sacrificia propiciatoria legalia typi vnici ſacrificij in cruce à Chriſto oblati.

Sacrificij Chriſti præſtantia.

iratum Deum. Nos autem, quibus contigit post Christum eiúsque aduentum nasci, quíque incedimus in hæc tempora, eò feliciores sumus veteri illo populo, quòd nõ nunc in vmbra, vt olim illi intueamur victimam illam; sed Christum in Euangelio suo habeamus ante oculos crucifixum, id quod veteres illi patres, Abraham, Isaac, Iacob, & Prophetæ omnes, vnicè desiderarunt, neque tamen obtinuerunt. *Patres, & Prophetæ*, inquit, Christus, *cupiuerunt videre quod vos videtis, sed id non sunt consequuti.* Misera autem est ista cæcitas nostra, & nunquam satis deplorãda, qui exortum illum Iustitiæ Solem non videmus certè vt oportet. Orandus itaque DEUS est, vt quemadmodum oculis nostris videndam proposuit hãc victimã, ita oculos nostros aperiat, vt eam tandem clarè intueamur. *Oscitantia nostra.*

Consideremus nunc cultum, qui placeat DEO, & verba contextus ponderemus. *Sacrificia*, inquit, *Dei sunt Spiritus fractus.* vocat *sacrificia* pluraliter, quia vel vnicum illud contriti animi sacrificium est instar plurimorum, adeóque omniũ quotquot vnquam fuerunt. *Sacrificia Dei*, vocat, hoc est DEO accepta, Spiritum fractum intelligo quasi comminutum & abiectum, propriæ infirmitatis ac indignitatis conscientia. Tum ad Deum conuersus, ait, *O* *De vero cultu interno, & sacrificiis piorum locus.*

Deus, animum fractum & contritum nō spernis. Meiosis est, qua significit Deo acceptissimum esse animum fractum & contritum. Sed videamus paulò diligentiùs quemnam dicat animum fractum. Posteaquam quis ex peccato suo exsuscitatus est, & aperti sunt ei oculi, ad hoc vt fœditatem suam inspiciat, comparata nimirum ea cum Dei natura, quæ in lege proponitur nobis iusta ac sancta, videat etiam fœditatis suæ pœnam, iram ac maledictionem Dei (Nunquam enim satis admiretur quis corruptæ naturæ cæcitatem. qui cæci sunt corpore, aliquem tamen aspectum habent: vident enim & intelligunt se cæcos esse. sed qui animo cæci sunt, eò miseriores sunt, quòd ne intelligunt quidem se cæcos esse, imò putant se lympidissimè videre, cùm tamen miseri talpa quouis cæciores sint, donec tandem diuinitus ipsis oculi adaperiantur) posteaquam igitur aliquis inspexit naturæ suæ fœditatem, ac immunditiem, nam simúlque Dei iram, tum animo deiicitur, & qui priùs sibi aliquid esse visus est, iam in oculis suis ipsius sordet, & nihil sibi esse videtur: atque hæc vna est deiectionis & contritionis causa. Est & altera, nempe degustata aliquo certè modo Dei in Christo misericordia, quam simulac quispiam delibauit,

Animus fractus quid.

Eiusdem accurata descriptio.

uit,

uit, dolet non tam propter pœnam, quàm propter offensum Deum, & Patrem tam misericordem. Atque hæc est ea, quem vocat Paulus tristitia secundùm Deum, quæ efficit resipiscentiam, hoc est, animi mutationem, veteris hominis mortificationem, & noui hominis viuificationem.

Tristitia secundùm Deum.
2. Cor. 7. 10.

Dolor iste qui est ex offenso Deo, coniunctam habet lætitiam ex sensu amoris diuini ineffabilem: fieri enim nequit, vt amoris illius paterni sensus, sen serus lætitię omnis sit expers. Ná, quod mirũ alicui videatur, quo maior est amoris Dei in Christo sensus eo maior dolor, maior etiam lætitia. Neque enim seriò lætatur, qui non seriò dolet. Atque hæc est resipiscentis peccatoris conditio: is status mortalium tristissimus, simul & lætissimus est. Iam Deus intuitus animum hominis ita factum & contritum, mirum in modum eo delectatur, & in eo conquiescit, vnde Deus ipse apud Esaiam negat habitare se in templis manufactis, negat etiam habitare se vel in cælo, vel in terris, habita culum autem suum, ac domum quietis suæ profitetur esse animum pauperem & contritum. Quòd si dicas, cùm animus noster non sit plenè in hac vita regenitus, ne animus etiam resipiscentis quàm maximè seriò, vnde fit illud vt Deus eo tantopere delecte-

Dolor secundùm Deum summam profert lætitiam.

Quia Deus eo dolore summopere delectatur.

tur, vt in eo etiam habitet & conquiescat? Respondeo, Cui animus contritus est, is fide simul imbutus est: contritio enim ex fide est, & persuasione misericordiæ ac dilectionis Dei in Christo. Per fidem autem animus, etiam non planè regenitus, placet Deo, nimirum per fidem in vnicum illud sacrificium, quo & pacatur ira Dei aduersus peccatum, & tranquillatur peccatoris conscientia. Ergo delectatur Deus animo contrito, quia idem fidelis est, & Christum in se habet inhabitantem per fidem. Vt igitur placeamus Deo, nũquam sinendum est, vt illud Christi sacrificium ex oculis nostris elabatur.

Cur in animo contrito Deus habitet.

20 *Benefac pro voluntate tua Tzijoni: ædifica muros Ieruschalaimorum.*

21 *Tum delectaberis sacrificiis iustitiæ, holocausto, & prorsus consumendo: tunc offerent super altare tuum iuuencos.*

Benefac pro voluntate. Hactenus fuit primum petitionis genus pro se, sequitur alterum pro populo toto, & bono publico, cùius tum nullã rationem habere virtus est, cùm peccato suo Deum ad iram prouocaret, (peccatum enim Principis vniuersum populum in discrimen coniicit) cùm exponeret eum gladio hostium. Damnum autem hoc, quo populum affecit, allegoricè cum labe murorum comparatur, quia fi-

Psalmi pars altera, petitionem pro Ecclesia cõtinens.

deles

deles sunt lapides viui in domo Dei, 1. Pet. 2. Ait igitur, (vt ad verba ipsa veniamus) *Benefac pro voluntate tua Tzioni*: pro voluntate, inquit, hoc est pro gratuita misericordia. Nullam enim prætendit populi innocentiam, quando cum Deo res est: quanquam alioqui innocente populo abusus est. Neque enim sic precatur Deum, *Benefac Tzioni*, quia innocens est: verùm sic, *benefac Tzioni pro voluntate tua*, hoc est, pro misericordia tua. *Ædifica muros*, hoc est, labem illam, quam ego feci in domo tua, ô Deus resarci ac repara, qui solus potes tua virtute id facere: facilè quidem fuit mihi peccato meo populum hunc labefactare. At verò non tam facile mihi est ruinam reparare, & in integrum restituere.

Ex quo vides, Dauidem cùm petit à Deo vt benefaciat populo, agnoscere simul sua culpa populum labefactatum. Conscientia igitur mali illius quo affecit populum, vrget nunc, vt pro eo Deum oret. Si quid errant principes, ferè id fit in officio, quod nimirum malè gerant Rempublicam: cuiusmodi fuit error iste Dauidis, cùm exponeret populum Dei inimicorum gladio: ideóque necesse est erratum eorum ad totum populum pertineat. Atque hinc est quod erratum principis grauius sit errato *Errata principis, labes populi.*

priuati hominis, cùm pateat latiùs & plures malo ſuo implicet. Atque inde eſt, quòd cùm Deus populum aliquem ſtatuit vel caſtigare, vel opprimere, det ei populo ſtultos principes ac Conſiliarios, vel pernicioſa, vel non neceſſaria ſemper mouentes. Contrà verò, cùm vult ſeruare populum aliquem, dat ei principes & Conſiliarios bonos. Cùm voluit Deus Iudæos à Philiſteis exerceri, ac affligi, dedit populo principes malos, Saulum, Ioramum, Achaſum. Cùm voluit rurſus Iudæos florere, ac proſperè agere, dedit principes bonos, Dauidem, Ioſiam, Ezechiam. Vulgus hominum, dum hæc intuetur, & obſeruat viciſſitudinem iſtam, omnia imputat vel ignauiæ, ac ſtultitiæ, vel fortitudini ac prudentiæ ipſorum principum, vel denique fortunæ & caſui. Sed errat miſerè: ſunt enim iſta à Deo omnia, propter gratitudinem vel ingratitudinem populi. Quamobrem, dum iſta fieri videmus per principes, oculos noſtros, non tam ad principes, quàm ad Deum & noſipſos referamus.

Iræ Dei in populos iudicium.

Rurſus vide, Dauid hoc loco cùm vniuerſum populum peccato ſuo læſiſſet, eius rei conſcientia adductus, ſeriò precatus eſt Deum, pro reſarciendo illo malo, quo populum Dei affecerat. Vtinam etiam noſtri

De recta Principũ cura.

ſtri principes, qui multis modis hodie publicam pacem turbant, hoc tandem faciant, & factorum ſuorum conſcientia moueantur. Præterea obſerua, Dauid ipſe Deo reconciliatus, continuò pro populo intercedit. Qui ipſe prior Deo reconciliatus eſt, & iam bene ſibi conſcius fit, etiam pro aliis audet intercedere apud Deum I. Qui verò non eſt reconciliatus Deo, ac proinde malè ſibi conſcius, ne ſuam quidẽ ipſius cauſam audet apud Deum agere. Quantum igitur intereſt totius populi habere virum aliquem bonum, Deo familiarem, & bene ſibi conſcium, idque per fidẽ in Chriſtum Ieſum. Profectò vnus aliquis precibus ſuis apud Deum multis prodeſſe poteſt. Det Dominus cuíque fidem iſtam in Chriſtum Ieſum, quæ eſt omnium iſtorum fundamentum, ſine qua nihil vel poſſumus vel audemus.

Reconciliationis cum Deo effectus.

Tandem verſu vltimo Deum ad benefaciendum populo mouet à gratitudine ſua, quam ipſe vnà cum populo præſtiturus eſt Deo, in ſacrificiis nimirum ligitimis, Deóque acceptis offerendis, prout ferebant illa tempora, quibus erant homines ſub elementis mundi & legis pædagogia. Verba ſunt, *Tunc delectaberis ſacrificiis iuſtitiæ:* id eſt, offerentur tibi ſacrificia legitima ex legis tuæ præſcripto, ideóque ſacrificia iuſti

Liberationis votum pium.

tiæ. Neque enim licet Deum colere pro arbitratu noſtro, ſed neceſſe eſt ex præſcripto ipſius eum colamus. Senſus ergo eſt, quaſi dicat: offerentur tibi ſacrificia à te inſtituta, iiſque delectaberis. *Delectaberis etiam holocauſto*, eóque prorſus conſumendo: *offerent*, etiam pro ritu, *iuuencos ſuper altare tuum*. Deus quærit gloriã ſuã, atque id quidem agnoſcit Dauid, verùm niſi ipſe materiam gloriæ ſuæ ſuppeditet, hoc eſt, niſi ipſe beneficiis ſuis homines prouocet ad ſe glorificandum, non glorificaturi ſunt eum. In inferno enim nemo eſt qui colat Deum. Rurſus, ne omnes quidẽ Deo grati ſunt, propter collata in ſe beneficia, verùm hi tãtùm qui guſtarunt quàm benignus ſit Dominus, hoc eſt, qui in Chriſto Ieſu habent ſenſum aliquem dilectionis eius.

Beneficiorum Dei conſideratio.

Miſericordiæ Dei multa quidem ſunt argumenta: quot enim ſunt eius beneficia, tot ſunt documenta. Sed pleraque ſunt communis duntaxat & vulgaris miſericordiæ, qualis nimirum eſt Creatoris erga creaturam ſuam: ſingularis autem miſericordiæ & dilectionis, qualis eſt parentis erga filium, vnicus Chriſtus argumẽto nobis eſt. Nulla enim alia re ſic manifeſtari voluit Deus miſericordiam illam, ac dilectionem qua mundum complexus eſt, vt

filio

filio ſuo dato pro mũdo. Quamobrem illi ſoli qui in Christo ſunt & eum fide amplectuntur, illi inquam ſoli ſentiunt quàm ſuauis ſit Dominus, quia in illorum duntaxat cordibus effuſa eſt illa Dei charitas. Quare etiam illi ſoli ſunt, qui poſſunt Deo grati eſſe, propter accepta ipſius beneficia. Concludimus igitur illud, quod iam ſæpius inculcatum eſt, ſtudendum eſſe imprimis, vt credamus in Ieſum Chriſtum ſine quo nihil boni accipimus: ſine quo nullam officij partem facimus vel Deo, vel hominibus, ſine quo denique nulla ſalus. Orandus igitur Deus eſt perpetuò, vt quemadmodum nobis pro infinita ſua miſericordia dedit Filium ſuum vnigenitum, ita velit aperire oculos mentis noſtræ, ad hoc vt ipſum videamus: velit etiam aperire corda noſtra, vt ipſum penitùs ſentiamus, ſine quo nullus eſt in cordibus peccatorum lætitiæ ſenſus. Atque hoc orandum nobis eſt, propter & per eundem illum Chriſtum, Dei filium, & Dominum noſtrum: Cui, cum Patre & Spiritu Sancto, ſit omnis honor & gloria in ſæcula ſæculorum: Amen. *Concluſio.*



PSALMVS LXII.

Argumentum.

Huius Psalmi author est Dauid. Scriptus est autem quo tempore Dauidem persequebatur Saul per emissarios suos. Totus Psalmus est de fiducia in Deo. *Partim*, enim fiduciam suam edocet ad versum vsque 9. *Partim*, commendat omnibus piis in Deum istam fiduciam, ad finem Psalmi.

1 *Magistro symphoniæ in Ieduthune, Psalmus Dauidis.*

2 *Tantummodo in Deo conquiescit anima mea: ab eo salus mea est.*

3 *Tantummodo ipse rupes mea est, & salus mea, locus editus meus: non dimouebor motione magna.*

4 *Quo vsque machinantes ærumnas in virum, occidemini vos omnes, quo vsque eritis similes muro pando, materiæ impulsæ?*

5 *Tantummodo de excellentia eius consilia ineunt, depellendi eum: delectantur mendacio: ore suo benedicunt, intra se verò maledicunt.* Sela.

6 *Tantummodo in Deo conquiesce anima mea: nam ab eo est expectatio mea.*

7 *Tantummodo ipse rupes mea est, & salus mea, locus meus editus: non dimouebor.*

8 *In Deo est salus mea, & gloria mea, rupes robusta mea: receptus meus est in Deo.*

TAN-

TANTVMMODO. Quòd ad fiduciam suam ipsius, *Primùm*, gloriatur de fiducia sua in Deo: *Deinde*, gloriatur aduersus inimicos: *Tertiò*, redit ad priorem illam gloriationem. Quòd ad gloriationem de fiducia sua, Dauid posteaquam afflictus est, ac animo perturbatus, tandem acquiescit in Deo. Percepta igitur requietis illius tanta suauitate, de ea gloriatur hac voce, *Tantummodo in Deo conquiescit anima mea.* Verbum ipsum Hebræum significat *silere*, quod noster interpres vertit, *acquiescere*. Ergo antè perstrepebat in ipso anima Dauidis, sicuti dicit alibi, *Quid deiecta es, anima mea? cur perstrepis in me?* Sed quæritur, An nunc sileat anima eius, cùm tamen videamus eam voces istas edere? Respōdeo tum silere animam alicuius, cùm non perstrepit ac perturbatur, etiamsi interea quàm maximè glorietur. Tria sunt deinde argumenta, propter quæ acquiescat anima ipsius in Deo. *Primùm* est, quòd Deus sit author salutis ipsius. *Deinde*, propiùs accedens ad Deum ipsum, & non contentus solo ipsius beneficio, nisi ipsummet Deum possideat, eíque tanquam petrę ac rupi insideat. *Tantummodo*, inquit, *ipse rupes mea est*, *&c.* *Tertium* argumentum, est secundi effectum. *Non dimouebor*, inquit, *motione*, certè

Prima Psalmi pars, in qua de fiducia sua agit Propheta.

Silentiū animæ, quid.

magna, qua futurum est vt planè corruam: vt, Cor.10.13.

Lucta carnis & spiritus. Obserua primùm, voluit quidem Dauid patienter afflictionem perferre, vt ipse de se alibi loquitur, quòd nimirum decreuerit obseruare vias suas, ne peccaret lingua. Verùm erumpit affectus, ac tumultuatur animus, tandem tamen côquiescit in Deo. Pij quique vellent quidem cum silentio sub Dei manu humiliari, sed ingrauescentibus malis non continet se affectus, qui postquam solutus est: non quiescit ac colligit se priùs, quàm Deum præsentem sibi

Anima quies solida. senserit. Dicam hoc semel, nulla quidē est solida nostræ animæ quies, nisi in Deo solo. Non est ea in diuitiis, non est in honoribus, non est in brachio humano: Non denique est in Idolis & fictis diis, de quibus Dauid Psal. 16. *Multiplicant*, inquit, *dolores suos qui alienum dotant.* Idola enim animos hominum, qua quæso re alia, nisi trepida superstitione implent? Idem Dauid Psal. 4. manifestè significat non conquiescere animum in diuitiis: *Attolle*, inquit, *lucem faciei tuæ super nos, Iehoua, & indideris lætitiam maiorem animis nostris, quàm temporis, quo vinum & mustum, eorum aucta sunt.* Quo loco vides præferre eum, securitatem & lætitiam suam in Deo, illi illorum hominum toti lætitię, qui con-

quie-

quieſcunt in iſtiuſmodi tantis rebus. *Tantummodo igitur in Deo acquieſcit anima mea.* Proindéque quoniam in Deo acquieſcere non impii poſſunt, nulla iis pax eſt, dicit Dominus.

Obſerua rurſus, hîc Dauidem innuere nō vulgarem aliquam animi ſecuritatem, verùm ſingularem ac inſignem: quò fit, vt liceat colligere, tam inſignem tranquillitatem animi, antegreſſam eſſe inſignem aliquam perturbationem. Nam profectò, quò maior eſt iam animi tranquillitas, eò maior antea fuit animi commotio. Obſerua *tertiò.* Dauid quærit ſecuritatis ſuæ cauſas non in ſe, ſed extra ſe in Deo, in quo nimirum acquieſcit anima ipſius, dum eum *rupem ſuam*, ac *turrim* appellat. Nihil igitur quod in nobis ipſis eſt cauſa propriè eſſe poteſt tranquillitatis animi noſtri, ne ſi fidem quidem ipſam aut ſpem dicas, ſi fidei nomine intelligas inſtrumentum dũtaxat apprehendendi Chriſtum. Nam quæcunque in nobis ſunt, etiam renatis, imperfecta ſunt omnia, fides, ſpes, charitas, opera denique ex his principiis manantia. In ſolo igitur Deo, quietis & pacis noſtrę cauſa eſt, in ſolius Dei robore, in ſola Dei per Chriſtum dilectione. Paulus, vbi hanc ipſam animi ſecuritatem prædicat, nō dicit quidem, Quis ſeparabit nos à charitate il-

Inſignem animi trã- quillitatem præcedit perturbatio inſignis.

Tranquillitatis vera cauſa, Deus.

Rom.8. 34. la, quâ nos Deum proſequimur? Verùm ibi ait, Quis ſeparabit nos à Charitate Christi, id eſt à Charitate, qua nos Deus in Christo proſequitur? Viderint hoc Papiſtæ, qui ſecuritatem ſibi & animis ſuis quærunt in operibus ſuis: quò fit vt ego induci non poſſim, vt credam iſtos homines cum opinione operum ſuorum vera pace ac tranquillitate animi frui poſſe.

Aduerſus inanem fiduciam.

Exemptio piorum à motione magna.

Obſerua quartò, quod dicat ſe non dimotum iri *motione ſaltem magna.* Non negat planè omnem commotionem, ſed magnam aliquam ac ingentem commotionẽ negat. Neque enim in hac vita ſperãdũ eſt nos fore prorſus immunes ab omni motione. Nam non ſic argumentatur Dauid, quia non mouebor omnino, ideo acquieſcit anima mea in Deo. Nam ſi non niſi ea conditione acquieſcere ſtatuiſti in Deo, quia nullo planè modo cõmouearis in tota vita, profectò nunquam futurum eſt vt in eo acquieſcas, vel in hac vita, vel in altera illa. Satis ſit tibi, ſi non opprimaris afflictionibus: habent enim pij promiſſionem non quidem eam qua prorſus immunes futuri ſint ab omni afflictionum genere, ſed qua non planè opprimendi ſint afflictionibus. Dicitur enim quòd non permiſſurus ſit Deus vt nos tentemur ſupra id quod ferre poſſumus. Vide quoque de hac

Permiſſio piis facta in afflictionibus.

1.Cor.10. 13.

2. Cor. 4. 8.9.&c.

hac re exemplum Pauli.

Quousque machinantes. Nunc conuertit se ad inimicos, & in arce quasi positus aduersus eos omnes gloriatur. Duo sunt quæ interrogat, quorum posterius explicat atque declarat id quod prius est. Sensus enim est, ac si diceret, vt murus pandus atque dissiliens, sua ipsius mole corruit, aut nullo negotio deiicitur, sic vos liuore, & nequitia vestra ipsorum, consumemini. *Tantummodo.* Machinationem illam eorum demonstrat. Consilium ineunt depellendi me de *excellentia* mea. De hac excellentia vide 1. Sam. 18. Dauid, præfectus satellitio Saulis, ita se gessit vt administratio eius ab omnibus approbaretur, atque etiam ipsius Saulis administrationi à puellis cantantibus præferretur. Percussit Saul suos millenos: Dauid autem percussit suas myriadas. Tum quo prætextu id fecerint, ostendit, *Consiliis*, inquit, *suis mendacium prætexuerunt*, quod rursus explicat subiectis his verbis, *Ore suo benedicunt, intra se verò maledicunt.* q. d. profitentur quidem amicitiam, sunt autem reuera inimici.

De gloriatione piorum in Deo acquiescentium, locus.

Inimicorum Dauidis, Christi, Ecclesiæ, mala mês, malus animus.

Obserua *primùm*: Quæ mouerunt Dauidem priùs, nunc ea nihil eum mouent: dum acquiescit anima eius in Deo nihili facit hostes suos omnes. Gaudium enim quod existit interea dum quis acquiescit in

Fiducia in Deum latus effectus.

Deo, omnem metum ac doloré planè absorbet, imò verò fiduciam efficit, qua gloriamur contra aduersa omnia: è contrà verò cùm non acquiescit anima in Deo, ea rebus vel leuissimis mouetur, vel solo persequutionis nomine perterretur. Causa enim cur videatur mors ista prima tam multis adeò terribilis est, quòd non videant eam quæ cum Christo in Deo abscondita est vitam ac gloriam.

Impiorum præceps ac per se labilis firmitas.

Obserua *deinde*: Permitte sibi Impios paulisper, ac suo pondere eos corruere cernes, non aliter atque paries dissiliens, aut maceries impulsa, quæ sua mole ruit. Verùm pauci admodū id vident, atq; inde est quòd tam multos moueat impiorum felicitas externa. Ij tantùm id vident quorum anima in Deo acquiescit, & qui ex hac quasi turri eos speculantur. Ipsi etiam regeniti, id non vident nonnunquam: vt Dauid, aut quisquis ille fuit, qui Psal. 73. conscripsit, id non vidit, donec ingressus esset Sanctuarium: ac tum quidem animaduertit finem eorum: vidit eos stare in lubricis, vidit abire in desolationem momentò.

Impiorum liuor, & piorum charitas.

Obserua *tertiò*, Exaltatum Dauidem conati sunt inimici de excellentia sua deiicere. Quem Deus euehit, impij conantur eum deturbare è loco suo, etiam tum cùm vident

vident contrà niti ipſum Deum. Secus fecit Ionathan, qui cùm videret Dauidem regno deſtinatum, cum eo fœdus pepigit. Ita piis omnibus faciendum eſt. vide Pſal. 4. *Filij*, inquit, *hominum, quouſque gloria mea vobis ignominiæ erit? Cognoſcite potius Deum, cùm oraturus ſum, eum exauditurum eſſe me.* Metuant igitur ſibi homines à precibus eorum quibus cum Deo intercedit.

Tantummodo in Deo. Redit ad primam illam gloriationem, de fiducia ſua in Deũ, & mutato paululum loquendi genere, animam ſuam alloquitur. Rationes autem affert eaſdem quas priùs. *Prima*, eſt ab exſpectata ſalute. *Secunda*, propiùs ad Deum accedens vt priùs. non contentus eſt diuino beneficio, niſi ipſum Deum poſſideat ipsíque tanquam rupi inſideat. *Tertia*, eadẽ eſt quæ priùs fuit. Verſu octauo repetit ſecundam rationem mutato paululum loquendi genere. Ex quibus quidem argumẽtis omnibus illud obſerua. Non ſatisfacere ſibi Dauidem in multiplicandis verbis, quibus Deũ eiuſque beneficia amplificet. Mutat quoque loquẽdi genus, appellat *ſalutem ſuam, rupem, ſuam, locum editum, gloriam.* Receptá ab eo ſalutem ſuã eſſe dicit, ipſum eſſe ſalutem & rupem prædicat, denique in eo eſſe ſalutẽ pronuntiat. Ex abũdãtia cordis os loquitur, & ſenſus ille quie-

Gloriatio in Deum non torpet, ſed exultat.

tis in Deo non vllis vocibus ſatis exprimi poteſt. Quæ enim operatur Spiritus Sanctus in cordibus, illa linguis hominum non

Rom. 8. 26. poſſunt ſatis explicari. Vnde Paulus gemitus illos à Spiritu Sãcto ſubminiſtratos in-

1. Petr. 1. 8. enarrabiles eſſe dicit. Et Petrus gaudium illud fidei ineffabile ac glorioſum nũcupat.

Doctrina ex hac gloriatione firma ſurgentis. Ex his vides *primùm*, Animam eam, quæ acquieſcit in Deo ſubinde redire ad gloriationem in Deo. *Deinde*, vide ac diſce ex hac repetitione, non ita ſedari ac tranquillari animam in hac vita, quin aliquo certè modo interea commoueatur. Mare, dum non agitatur procellis, mouetur tamen leni aliqua aura: affectus, ſi non ſtatim inflammetur, inflatur tamen aliquo modo. Quamobrem opus habet ſubinde anima noſtra noua exhortatione, ad quietem hanc in Deo. Vide *tertiò*. Argumẽtum primum gloriationis eſt ab exſpectatione ſiue ſpe. huic conſentit quod Paulus ait, glo-

Rom. 5. 2. riamur ſub ſpe gloriæ Dei. Quòd ſi ſpes & exſpectatio ſalutis gloriationem hanc animi & lætitiam tantam efficiunt, quantam quæſo lætitiam effectura eſt res ipſa, cùm in præſentem poſſeſſionem iſtarum rerum omnium, quas nunc eminus intuemur, mittendi ſumus.

9 *Confidite ei omni tempore, ô popule, effundite coram eo animum veſtrum: Deus receptus*

ceptui nobis est. Sela.

10 *Tantummodo vanitas sunt nati plebleio homine, mendacium sunt nati præstante viro: Lancibus illi simul impositi, ascensuri essent supra vanitatem.*

11 *Ne confidatis oppressioni, & rapinâ ne euanescatis opulentia, si abundet, ne apponatis animum.*

12 *Semel loquutus est Deus, bis idem audiui, robur esse Dei.*

13 *Et tuam esse, Domine, benignitatem, te re pensurum cuique secundùm opus suum.*

Confidite. Secunda pars Psalmi, admonitio, eaque duplex. partim enim admonet pios, partim impios. admonitio ad pios pertinens rursus duplex est. partim enim monet, vt confidant Deo, partim ne confidãt hominibus. *Confidite*, inquit, *Deo*. Tum, *effundite*, inquit, *coram eo*, &c. posterius istud prioris illius effectum est. Nam qui confidunt Deo, coram eo effundunt omnes curas & anxietates perturbati animi sui. Argumentum subiectum est. *Nam ipse*, inquit, *receptui est nobis*. Deinde, admonet ne confidant hominibus: etsi enim hoc expressè positum non sit, intelligendum tamen est. Argumentum huius admonitionis est à vanitate hominum, cuiuscunque demum sortis, & conditionis ij sint. *Vani sunt quotquot ignobiles sunt: Mendaces verò*

Admonitio ad pios & impios pertinens.

Ad pios.

Arg. à vanitate hominum.

ac fallaces, quotquot nobiles sunt. Verùm, quo maiorem eorum vanitatem indicet, eos ipsammet *vanitatem ac mendacium* appellat. Amplificat autem vanitatem hominum facta comparatione eorum cum ipsa vanitate. Loquutionem istam ne intellige hyperbolicã. Nam ita est reipsa, vt loquitur. Homo enim ante lapsum fateor aliquid fuit, post lapsum verò in nihilũ redactus est. Neque enim in eo mansit reliqua vel vna integritatis & sanctitatis mica. Quòd si quid in eo sit, illud totum malum est: & si sit homo aliquid, totus, quantus quãtus est, malus est, vel ipsa potius malitia. Sic autem esse aliquid, deterius est quã nihil esse omnino. Viderint hoc Papistæ, qui naturam hominis scilicet tam præclaram, tanti faciunt. Dauid eam in rebus vanissimis numerat: illi eam in se etiam aliquid esse volũt, & diuinæ gratiæ detrahũt vt homini integritas aliqua tribuatur.

Cum ipsa vanitate comparata.

Quo sensu vanitate ipsa magis vanus homo dicatur.

Ex his obserua *primùm*, latum discrimen inter eos qui fiduciam in Deo collocant solo. & eos qui rebus aliis confidunt. Qui in Deo fiduciam suam collocant, illi beneficium hoc libenter cum aliis communicant, & volunt omnes pariter Deo confidere. Qui verò aliis rebus, vt diuitiis, vt honoribus, vt hominum brachio confidunt, ij non libenter admittunt ad societatem

Discrimẽ piorum & impiorũ.

tem suam & participationem istarum rerũ alios quosuis. Vellent enim eas soli simul ac semel deuorare. Deus bonum est, quod sufficit omnibus: neque, si quamplurimi simul eius fiant participes, eo deteriori loco est vnus aliquis qui vnà sit eius particeps, neque ideò minus accipit, quin potius meliori est loco, & plus accipit, quò plures habet socios eiusdem beneficij.

Obserua *secundò*: Monet vt confidamus Deo, & effundamus coram eo animum nostrum. Hæc duo ita inter se cõiuncta sunt, vt qui confidit Deo, necessariò effundat, quasi in gremium eius, animi sui secreta omnia. Contrà verò, qui non confidit, is etsi peccari nonnũquam, & animum suum Deo exponere videatur, nunquam tamen seriò cum Deo agit, & ingenuè, sed quod agit, id perfunctoriè duntaxat & ieiunè agit. Neque enim fieri potest, vt quisquam, qui non credit in Deum, familiariter cum Deo secreta sua, ac curas animi sui, cõmunicet. Quomodo, inquit Diuus Paulus, inuocabunt eum, in quem non crediderunt?

Fides & inuocatio res coniunctæ.

Rom. 10.14.

Piorum exquisitũ iudicium.

Obserua *tertiò*, Dauid dũ acquiescit in illa quasi arce speculanti, videntur ei omnes homines non vani modò, sed ipsa vanitas esse. Illi demum qui per fidem firmiter adhærent Deo. illi inquam soli sunt qui intuentur hominum, atque adeò huius

mundi vanitatem ac miseriam. Neque enim quibusuis datum est, statim eam videre ac dignoscere. Verùm hi sunt qui soli vident nihil solidi esse nisi in Deo, & hi soli sunt qui de beatitate ac miseria creaturæ rectè iudicium ferre possunt. vt qui soli veram illam in Deo beatitatem experiantur.

Admonitio ad impios. *Ne confidatis oppressioni.* Secunda admonitio ad improbos Saulis administros, & omnino quosuis pertinens. Monet autem *ne confidant oppressioni, & ne euanescant rapinâ.* Verbum hoc *euanescendi* advertendũ est. Ideo confidimus rebus quibusuis, vt per eas stemus firmiter, neque diffluamus aut euanescamus. Illi demum soli stant firmiter, qui in solo Deo fiduciam suam collocant. Qui verò aliis rebus quibuscunque confidunt, tantùm abest ab eo, vt per eas stent, vt contrà euanescant, ac diffluant, non secus atque aqua arenæ infusa. *Opulentia. Si abundet, ne apponatis animum.* Hoc in genere ad quoscunque pertinet.

Arg. commune vtrique admonitionis parti. *Semel loquutus.* Hoc argumentum commune est vtrique admonitionis parti. Est autem à Dei ipsius iudicio. Deus fortis, potens, & misericors rependet cuique secundùm opera sua. Videat igitur quisque cui demum confidat, Deo-ne an aliis rebus. Probatur antecedens ipsius diuini

uini

uini verbi testimonio, & eo quidem iterato. *Semel*, inquit, *mihi Deus loquutus est, &c.* quasi dicat, sæpiùs idem mihi confirmauit. Obserua, *Primùm*, Dauid non inuidet illis summum illud bonum, Deum ipsum, qui tamen ipsi vel vitam caducam inuidebant. Huc enim spectat ista admonitio: Dauidis igitur exemplo habes ingenium Ecclesiæ simul & hostium eius. Hi inuident illi, vel caducam vitam: Illa verò non inuidet illis, imò illis optat vitam æternam. Christus pro iis precatus est, qui ipsum crucifixerunt: Stephanus orauit, ne imputaretur iis peccatum suum, qui ipsum lapidarunt. Obserua hîc, *Secundò*, quanta sit hominum insania: fiduciam enim suam collocare in rebus, alioquin adiaphoris, vt diuitiis, vt honoribus, vt brachio humano, quibus etiam bene vti possis, ingens peccatum est. Quanta igitur amentia, & quàm graue peccatum eorum est, qui in rapina & oppressione, aliísque rebus, suapte natura malis, quibus nunquam bene vti possis, spem suam collocant. Verùm, causa aliqua tantæ huius amentiæ, vel exemplo isto Aulicorum Saulis, addisci potest, nimirum illi impunè faciebant omnia. Homines autem, quod impunè licet facere, putant omnino statim id ipsum licere facere. Fiducia ergo ista in rebus ma-

Ingenium piorum & impiorum.

Impiorum amentia.

Impunitas, scelerum grauissima.

lis, non tam ipsis facinorosis, quàm iis à quibus coerceri eos oportuit, vt Sauli, vt aliis Magistratibus, qui ad facinora Aulicorum, & assentatorum suorum, solent conniuere, imputanda est, vtcúmque tamen peruersè ac præposterè indulserint malis ac flagitiosis, Magistratus ac iudices terreni. Discimus hoc loco cælestem illum iudicem effecturum, vt impij euanescant tandem in rapina & oppressione sua.

Quibus imputanda.

Cogitationes animi nostri conuenientes & digna.

Illud denique non prætermittendum est, quòd Dauid semel atque iterum admonitũ se fuisse dicat de iusto illo Dei iudicio, quo compensaturus est quémque secundùm opus suum: quod quidem argumento est, cogitasse Dauidem subinde de extremo illo ac terribili iudicio, de quo profectò nobis omnibus, etiam optimis quibusque, sæpius cogitandum est. Nam illud est ingenium, vel optimorum quorúmque, vt inspecto illo terrore Domini, in ordinem cogi opus habeant. Ita enim Paulus de sese loquitur, *Scientes*, inquit, *terrorem illum Domini, homines ad fidem adducimus.* Alliciendi sumus, fateor, aspectu diuinæ in Christo misericordiæ, ad officium faciendum. Verùm, quo sumus ingenio, nisi ex vna parte quemadmodum allicimur Dei beneficiis, ita ex altera parte terreamur Dei iudiciis, profectò in of-

2. Cor. 5.

ficio

ficio contineri non possumus. Deo igitur, qui omnibus modis consulit saluti suorum in Christo Iesu filio suo, sit omnis honor, & gloria: Amen.



PSALMVS LXV.

Argumentum.

Psalmus est εὐχαριστικός. *Primùm*, erumpit Dauid in gratiarum actionem & laudationem Dei, vers. 2.3. *Deinde*, sequuntur argumenta propositæ gratiarum actionis, ad finem Psalmi.

Argumenta illa sumpta sunt omnia à Dei benedictionibus & beneficiis. Sunt autem beneficia partim *spiritualia*, & æterna, quæ ad rei Ecclesiam duntaxat pertinent: ad vers. 7. partim verò, *corporalia*, ac temporalia: quæ rursus duplicia sunt, hoc Psalmo. Partim enim *communia* sunt, & ad omnes res creatas spectantia, ad vers. 10. partim verò *propria* sunt, & peculiariter in Ecclesiam Dei collata, ad finem Psalmi.

1 *Magistro symphoniæ Psalmus, Dauidis canticum.*

2 *Tibi debetur sedata expectatio ac laus, ô Deus, qui es Tzione: & tibi rependendum est votum.*

3 *O qui exaudis orationem: vsque ad te omnis caro ventura est.*



TIBI *debetur.* Prima pars Psalmi, qua Dauid primùm ex sensu miseriæ & peccati sui: deinde ex

laudum, quas pij Deo tribuũt, fundamenta.

ſenſu miſericordiæ Dei, vt apparet, ex verſ. 4. tertio ex fide in Deo conquieſcente, erumpit in laudationem Dei, ipſique ſoli adſcribit, *Primùm*, fiduciam animi: *Deinde*, laudem oris: *Tertiò*, quodcúnque officium, ad quod perſoluendum Deo noſtro, voto noſipſi obſtrinximus, atque hæc facit verſ.2. Deinde verſ.3. promittit certò fore, vt omnis homo fide ad Deum accedat. Ratio ſubeſt titulo quem Deo tribuit, dum eum compellat Deum, *qui exaudit orationem*, & c. verſ.3. promittit eam hominum fidem in Deo, quam Deo deberi peculiariter dixit, verſ. 2. q.d. debent quidem ô Deus, homines tibi fidem ſuam, & tibi dabunt eam, ac in te credent.

Laus Dei, quid. Diſce hoc loco, quid ſit propriè Deum laudare, vel glorificare. eſt quidem aſcribere illi quæ ipſi iure debentur: quę autem debentur, hæc ſunt, primùm, fiducia cordis, deinde laus oris, tertiò officia omnia *Partes eius.* ad quæ præſtanda ſumus deuincti, ſiue voto, ſiue quacunque alia obligatione. Deinde hîc diſcimus, ex illis principiis, è quibus ſine dubio exiſtit hæc Dauidis laudatio, non eſſe penes quemvis erumpere *A quibus verè præſtetur.* ſtatim in glorificationem Dei, neque poſſe quemlibet ſine diſcrimine proferre hęc ipſa verba, quæ tum olim protulit Dauid.

Tibi

Tibi debetur sedata expectatio, &c. Sed eum solùm illud posse, qui ex sensu diuinæ misericordiæ Deo confidit, in eóque conquiescit. Nam nemo glorificat Deum, nisi ex fide: credens autem in eum, confitetur ac profitetur tum fidem, tum alia omnia officia Deo in Christo deberi.

4 *Res iniquas, quæ præualuerant mihi, defectiones nostras tu expias.*

5 *Beatus quem eligis, & admoues, qui inhabitet atria tua: saturamur bono domus tuæ, rebus sanctis templi tui.*

6 *Res reuerendas in iustitia proloqueris nobis, ô Deus salutis nostræ: fiducia omnium extremitatum terræ & maris longinquarum.*

Res iniquas. Sequuntur argumenta propositæ laudationis à Dei ipsius beneficiis: ac primùm spiritualibus erga Ecclesiam. Ex spiritualibus primùm est remissio peccatorum, ex qua concludit propositam illam laudem, Deo nimirum fiduciam deberi, &c. Ex hoc argumento illud apparet verum esse quod diximus, erupisse Dauidem in hanc laudationem, ex sensu misericordiæ diuinæ ac remissionis peccatorum suorum. verba ipsa, quibus expressum est hoc beneficium, non obscurè significant, primùm, colluctatum fuisse Dauidem cum peccato. Deinde, in lu-

Propositæ laudationis Dei argumenta, à beneficiis spiritualibus, quorum primarium est, peccatorum remissio.

cta illa præualuisse ipsi peccatum. Tertiò, Deum peccatum illud expiasse. Hinc gloriam remissionis peccati sui, vel liberationis à peccato, Deo in solidum tribuit. *Tu*, inquit, *expias*. Neque enim fieri potest, vt quisquam Deo adscribat laudem remissionis peccati, nisi qui primùm cum peccato conflixerit, ac in illo conflictu senserit se inferiorem peccato: Deinde Deum peccato superiorem, cui ipse inferior fuerit. Vnde enim quæso fuit illa vox Pauli, gratias ago Deo per Christum? Legimus eodem capite Paulum primùm conflictatum cum peccato: deinde, captiuum abductum sub legem peccati. Hinc illa querela, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Post hanc querelam, facilè conspicimus pium hominem ad Christum confugisse, in eóque liberationem à peccato percepisse: vnde illa sancta gratiarum actio, *Gratias*, inquit, *ago Deo meo per Christum Iesum*. Quare, sine lucta non peruenitur ad sensum misericordiæ diuinæ, ad ipsius Dei glorificationem. Luctæ verò nostræ præclarus semper est exitus: desinit enim in glorificationem Dei, cum ineffabili ac gloriosa lætitia.

Beneficium remissionis peccatorum à quibus sentiatur.

Rom. 7. 25.

Absque expiatione & propitiatorio sacrificio vnico Christi in cruce, non fit remissio peccati.

Deinde, notandum est verbum illud *expiandi*, quo significatur purgatio per sacrificium aliquod propitiatorium. Vnde

de Psalm. 51. v. 9. Expia me, inquit, musco, hoc est, Christi sacro sanguine, figura illa adumbrato. Verbum igitur hoc significat id quod habetur Hebr. 9. *Absque sanguine non esse remißionem peccati.* Neque enim ipsi patres sub lege vnquam sine sanguine & sacrificio ad placandam irã Dei, misericordiam & veniam peccati implorarunt. Neque nos ipsi hodierno die sentimus apud animos nostros remissionem peccatorum nostrorum nisi sacrificio illo Christi, fide primùm apprehenso: neque audemus petere remissionem peccatorum à Deo, nisi in Christo ipsiúsque sacrificio.

Beatus, quem eligis. Secundum argumentum laudis, à beneficio vocationis, quæ naturæ ordine antecedit peccatorum remissionem. Ergo in recensendis spiritualibus Dei beneficiis, paulò altiùs assurgit ad remissionis antecedentem causam. Vocationem autem his quasi partibus comprehẽdit. prima est qua eligit Deus aliquem, hoc est, euocat è numero perditorum hominũ: hanc sequitur ea pars, qua adducit nos propiùs, & appropinquare facit ad se. Nisi enim ipse nos apprehenderet, & ad se quasi traheret, profectò euocati non moueremur loco. Hanc denique sequitur ea pars, quæ habitare nos facit in atriis suis. Incipit igitur vocatio nostri ab illo delectu

Alterum beneficiũ, Vocatio efficax ad veram Dei cognitionem.

Huius beneficij gradus.

quem facit Deus, procedit autem per appropinquationem ad Deum, tandem desinit in habitationem illam cum Deo in Ecclesia ipsius. Sed phrasis ipsa, qua vtitur in efferendo hoc vocationis beneficio, non est silentio prætereunda. Non enim ieiunè & nudè sic loquitur, *Tu eligis nos*, sed cum exclamatione & admiratione quadam magnitudinis huius beneficij, *Beatus*, inquit, *quem eligis*. Sic docemur non tam proferenda, quàm admiranda esse Dei omnia in Christo beneficia, quæ est omnium eorum incomprehensibilis & ineffabilis illa magnitudo. Sed ad hanc rem imprimis maximè necessaria est apprehensio certè aliqua Dei beneficiorum in nostro ipsorum corde. Ex abundantia enim cordis os loquitur, & qui nihil sentit animo, nihil aut certè parum ore loquitur.

Tanti beneficij commendatio ex effectu sequentibus.

Saturamur. Beneficium hoc vocationis commendat ex effectis sequentibus. *Primum*, est in facto Dei erga iam à se vocatos. *Secundum*, est in verbo Dei. Quòd ad factum, inquit, *Saturat nos rebus bonis & sanctis*: quòd ad verbum, inquit, *res reuerendas in iustitia proloqueris nobis*. Qui recipit aliquem hospitio, & mensa excipit, duo omnino sunt, quæ facere potest, in tractando hospite suo humaniter & lautè: primum est, in apponendo illi cibum lautissimum

Effectus Dei, Res

quo

quo vescatur: alterum est in demulcendo aures eius, & exhilarando animum ipsius sermonibus quibusque suauissimis ac iucundissimis: vtrunque horum facit Deus erga eos quos semel vocatos & mutatos dignatus est mensa sua. Sed verba paulò diligentiùs consideranda sunt. Rerum earum quibus saturamur in domo Dei, duæ sunt proprietates. Primùm *bona* sunt ac nobis *salutares*: deinde sanctæ sunt. Rebus his bonis & sanctis intelliguntur omnes in Christo benedictiones spirituales. Verborum autem quæ loquitur, duæ itidem sunt proprietates, prima est, quòd *reuerenda* sint ac proinde reuerentiam ab auditoribus requirant. Secunda est, quòd *in iustitia sint*, hoc est iusta, recta, ac sincera, sine fuco, sine mendacio. His autem verbis intelligendæ veniunt promissiones Dei de rebus bonis & Sanctis, vsque maioribus, quàm quas possumus capere in hac vita, capiemus autem in altera illa. Vides igitur quanta cum hilaritate, quanta cum animi lætitia versemur in domo Dei & mensa ipsius quasi accumbamus, qui non solùm lætamur fide bonorum præsentium, hoc est, præsenti ipsorum apprehensione, sed etiam spe futurorum bonorum, quæ præsentibus istis longè maiora futura sunt. Ex his effectis illud conspicimus, non abs re præ-

& Verba Dei: quod simili apposito declaratur.

Res, seu bona Dei.

Verba Dei.

dicasse Dauidem illum hominem beatum esse quem Deus eligat. Quid est enim beatum esse, si non hoc sit, tanto cum gaudio animíque lætitia, saturari rebus tam bonis, tamque sanctis, & audire interim promissiones rerum futurarum, longè maximarum, tam reuerendas, tam iustas ac veras.

Benefactoris nostri, nẽpe Dei, consideratio.

O Deus salutis nostræ. Duæ sunt hîc Dei appellationes: vna est quæ Ecclesiam respicit. Nam salus ad Ecclesiam pertinet. Altera est quæ omnes res creatas. Est enim omnium rerum creatarum fiducia. Vide igitur hîc, primûm, vt Dei bonitas, non tantùm ad Ecclesiam, etsi ad Ecclesiam maximè se extẽdat, sed etiã ad omnes res creatas, & eos quoque qui sunt extra Ecclesiã. Nam non sinit etiam impios expertes esse testimonij ipsius, benefaciendo iis, dans iis cælitus pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda ipsorum. Ita pij Deum intuentur, non tantùm in beneficiis suis erga Ecclesiam, sed etiam in beneficiis suis erga omnes res creatas. Vide deinde etiam rerũ mutarũ ac brutarũ fiduciã esse aliquam in Deum. Nam & suo quodammodo sitiunt Dei gratiam, & eam adeptæ, suo quodam modo in Deo suo conquiescunt: expectant denique cum suspiriis quibusdam suis, reuelationem filiorum Dei, cum quibus & ipsæ in libertatem vindicandæ

candæ ſunt. de hac re vide Rom. 8. Quo loco ſpes illa futuræ gloriæ, non tribuitur hominibus, niſi iis qui primitias Spiritus habent, ſpes tamen aliqua futuræ gloriæ rebus creatis attributa eſt ibidem: vt videas meliori loco eſſe res creatas, brutas & mutas, quàm homines, ſi ij Spiritu Dei non regenerentur.

Stabiliens montes. Sequuntur beneficia Dei corporalia, communiter ad omnes res creatas ſpectantia. *Viſitas hanc.* Sequuntur Dei beneficia corporalia, peculiariter ad Eccleſiam ſuam ſpectantia, ad finem vſque pſalmi. Quæ omnia cùm expoſitionem nō requirant, ſed facilia ſint intellectu, mentem Prophetæ demonſtraſſe ſufficiet, præſertim etiam quum ex aliorum prolixioribus ſcriptis facilè hauriri poſſint.



PSALMVS LXXXIIII.

Argumentum.

Pſalmus eſt εὐκτικός, Dauidis, vt veriſimile eſt, propter tyrannidem Saulis exulantis. Conſtat *primùm*, graui querimonia ad verſ. vſque 9. *deinde* petitione, ad verſ. 13. *poſtremò* concluſione epiphonematica, verſ. 13.

1 *Magiſtro ſymphoniæ ad Gittæa inſtrumenta poſteris Korachi, Pſalmus.*

2 *Quàm amabilia sunt tabernacula tua, ô Iehoua exercituum.*

3 *Desiderio afficitur, etiamque deficit anima mea, veniendi ad atria Iehouæ: cor meum & caro mea exclamant veniendi ad Deum fortem viuentem.*

4 *Ad altaria tua, Iehoua exercituum, Rex mi, & Deus mi: etiam paßer inuenit domum, & hirundo nidum sibi, in quo ponat pullos suos.*

5 *Beati qui inhabitant domum tuam! perpetuò laudant te.* Sela.

6 *Beatus homo, cui facultas est in te semitarum, quas habent pij in animo suo!*

7 *Beati qui transeuntes per vallem mori fontem constituunt eum, quos etiam benedictionum operit pluuia.*

8 *Pergunt ab acie ad aciem, comparet quisque apud Deum Tziione.*

Prima pars Psalmi pia querimonia constans.

Quàm amabilia sunt. Prima pars Psalmi, querimonia, in qua varij affectus animi Dauidis exulantis, sese produnt: ac primùm quidem affectus amoris illius, quo visibilem illam Dei presentiam in Ecclesia sua complexus est, exeritur hoc versu. Dauid enim cùm gustasset suauitatē illam prę̨sentiæ diuinæ, quę tum alligata fuit Ecclesiæ iudaicæ, captus est eius amore mirifico. Amorem autem illum tenerrimum hac voce exponit, *Quàm amabilia*, &c.

vox

vox enim hæc,amantis est. Tabernaculorum nomine intelligit visibile illud Ministerium, quod tum templo duntaxat Hierosolymitano alligatum fuit, & in quo Deus se videndum quodam modo exhibuit populo suo. *Desiderio afficitur.* Hîc prodit affectum desiderij, Nam cùm exularet vir pius ab ea, quam tantopere dilexit, Dei præsentia, non mediocri eius desiderio afficiebatur. Nam desiderium proproprie est ex absentia eorum quæ diligimus. *Tabernacula, quid.*

Vide igitur quid sit semel gustasse quàm benignus sit dominus: ex gustu enim est amor, ex amore est absentis desiderium, quod ipsum nunquam expers est alicuius certæ fruitionis ac præsentiæ. Beati qui esuriunt ac sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. At verò, qui nullo vnquam tempore gustarunt quàm benignus sit dominus, illi profectò nullo eius amore capiuntur. qui autem non amant, absentem non desiderant. Quæ enim est causa cur videas multos destitui visibili hac Dei præsentia, quæ est in Ministerio ipsius, neque tamen ea re vel tantillum commoueri? Nunquam illi gustarunt, quàm suauis sit hæc Dei præsentia in Ministerio suo. Hinc nullus Dei amor, hinc rursum nullum eius desiderium. Quid autem de iis sentias, qui *Gustus gratiæ spiritualis, res omnium suauissima.*

non tantùm libenter patiuntur ſe priuari iſta Dei præſentia, verũ eam omnibus quibus poſſunt modis perſequuntur? quo quæſo ſunt iſti animo erga Deum, & quàm malè affecto.

Deſiderij pij exaggeratio & amplificatio.

Etiámque defecit. Exaggerat deſiderium illud ſuum veniẽdi ad Deũ, ac *primùm* quidem ex eo quod præ deſiderio deficiat ipſi animus: *Deinde*, ex eo quod deſiderio illo totus occupetur, & corde, & carne, & animo, & corpore: *Tertiò*, ex eo quod præ deſiderio exclamet.

Vehementes piorũ affectus.

Nota igitur hoc loco quàm vehemens ſoleat eſſe in piis affectus, non deſiderij ſolùm, ſed amoris, ſed doloris: ſed lætitiæ, &c. Spiritus enim ille Dei, qui affectum in piis excitat, incomprehenſibilis eſt, Hinc eius in corde operatio admirabilis, non quidem quales eſſe ſolent commotiones in animo naturales, vt naturale deſiderium, naturalis amor, naturalis dolor, &c. Hinc ſuſpiria piorum inenarrabilia dicuntur. Rom. 8. & gaudium ineffabile ac glorioſum, 1. Pet. 1. Eſt tamen in affectione piorum, quod mireris, quódque in naturali commotione non reperias: deſiderium ipſorum vehemens, non eſt citra aliquam præſentiam & fruitionem rei illius quàm deſiderant: hinc illa voluptas inter deſiderandum. Suſpiria enim ipſorũ inenarrabilia, non ſunt ſine aliqua certè

lætitia,

lætitia, si non ineffabile gaudium cum suspiriis inenarrabilibus coniunctum sit.

Causa tanti piorum desiderij.

Ad deum fortem. Subest his Dei appellationibus aliqua tanti desiderij causa. Sensit enim potentiam suam totam, ac vitam suam à Deo esse, qui fortis est & viuens, hoc est, qui non modò fortis est in se, sed fortitudinem creaturis suis suppeditat: non modò ipse viuit, sed vitam rebus creatis infundit. Qui igitur sentiunt se per Deum viuere, moueri, ac esse, illi profectò Dei præsentia carere se non patiuntur. At verò, qui non id sentiunt, æquis animis ferunt Dei illam absentiam, Viuunt quidem omnes, fateor, ac sunt per illum, sed non omnes id intelligunt: soli hi id intelligunt ac sentiunt, qui cœperunt viuere vitam illam Dei & primitias spiritus habent. Illi quidem non solùm vitam illam spiritualem, sed & animalem, Deo soli acceptam ferunt.

Impatientia pia electorum Dei.

Indignationis piæ descriptio tertius Dauidis affectus.

Etiam passer. Tertius affectus, Indignatio: indignatur enim quòd vel passeri & hirundini aliquis aditus pateat ad *altaria Dei*: cùm tamen altaria Dei nihil ad bestiolas illas pertineant: ipsi verò qui membrum sit Ecclesiæ, omnis planè aditus ad Ecclesiam Dei præclusus sit. Vides igitur pios, destitutos Dei præsentia, etiam bestiis eam inuidere, & se præ bestiis miseros ducere. Vides etiam, Deum per be-

ſtias prouoçare quodammodo homines ad æmulationem. Impij in hac vita facilè patiuntur rescreatas ac mutas, propiùs ad Deum accedere quàm ſe: neque propterea vel eas beatiores, vel ſe miſeriores exiſtimát. At verò cùm ventum fuerit ad illud iudicium nouiſſimum, vel aërem illum, & nubes illas, quibus tum cingetur Dominus, & in quibus inſidebit, miſeri præ ſe beatas eſſe putabũt. *Rex mi, & Deus mi.* hæ Dei appellationes ſatis indicant, etiam tum præſentiam aliquam Dei fuiſſe, cùm de eius abſentia tam grauiter quereretur. Voces enim iſtæ fidei ſunt, hoc eſt, præſentis alicuius apprehenſionis. Videas igitur pios queri de abſentia Dei, cũ tamen preſenté aliquo modo apprehendant. Queruntur auté de abſentia, quòd eam, quam velint præſentiam, & cum Deo κοινωνίαν, habere non poſſint. Nam & viuitur hìc per fidem, non per aſpectum, hoc eſt, eminus tantùm intuemur Dominum: & ille ipſe intuitus, qui è longinquo eſt, multis modis impeditur: ſæpe numero etiá ex oculis noſtris omnis Dei præſentia eripitur. Hinc illud deſiderium emigrandi ex hoc corpore, & eundi ad Dominum habitatum: hinc illę querelæ, de abſentia Domini.

Deus preſens eſt piis, qui de eius abſentia queruntur.

Quartus

Beati qui inhabitant. hic quartus eſt affectus,

fectus, admiratio. Non enim satis admirari potest eorum hominum beatitatem, quibus aliquis ad Deum accessus pateat, hoc est, ad visibile illud ministerium, in quo Deus se videndum aliquo modo exhibuit. Nam, quotquot vnquam Deum sibi præsentem habuerunt, illi felicitatem, illi beatitatem humanam, ex eadem illa præsentia & *κοινωνίᾳ* quæ est cum Deo definiunt. Neque ij vnquam qui Deum in Christo non viderunt, vel rectè sentire, vel verè loqui de felicitate humana potuerunt. Hinc illæ tam fœdæ aberrationes profanorum Philosophorum, ex quibus nonnulli adeò dementati sunt, vt miseriam humanam, felicitatis loco posuerint. Quos autem beatos primo loco prædicat, ij videntur fuisse Leuitæ & sacerdotes. Nam illi erant qui inhabitabant domum Dei, & ex officio perpetuò laudabant ipsum. Ministri igitur Ecclesiæ primũ felicitatis locum obtinent, neque id quidẽ mirũ: siquidẽ felicitatẽ Dei præsẽtia & glorificatione nominis ipsius metiaris. Ministri enim præ aliis sanctificãtur ac segregãtur ad cõmunicãdũ cũ Deo, quibus etiam illud ex officio incumbit, vt Deũ in Christo quem ipsi primũ viderunt, aliis digito quasi demonstrent & Christum in prædicatione Euangelij aliis ob oculos depin-

Dauidis affectus, admiratio.

Ministrorum Ecclesiæ prærogatiua.

gant, & inter alios eum quasi crucifigant. Primo igitur loco beati sunt fideles Ministri, ac dispēsatores mysterij Christi: quòd fideles nō fuerint primo loco miseri, sunt.

Felices pij qui Deū quærunt in ministerio sacro.

Beatus homo. Secundo loco, beatos dicit eos, quibus facilis est aditus in Ecclesiam Dei. hoc est enim quod dicit, *Cui facultas est in te semitarum.* Nam etiam hîc felicitatis materia est, quòd facilis aditus nobis pateat ad cœtus Ecclesiasticos, in quibus prædicatur & auditur verbum Dei, & Sacramenta administrantur: sed nos sæpè id quod vulgò dici solet quò à templo Dei propiùs abiumus corpore, eò sumus animo à Deo magis dissiti, & abutimur libertate ac facultate illa, in qua beatitatis aliqua materia est: cæpit enim nos diuini verbi fastidium, & cōuentuum Ecclesiasticorum iampridem pertęsum est. *Beati qui transeuntes.* Tertio loco: inter beatos numerat eos, qui, etsi difficiliori itinere vtuntur, & siticuloso loco, vt erat vallis Mori. 2. Sam. 5. 23. 24. coguntur peragrare, similitérque pluuioso cœlo iter facere: tamen ad Ecclesiam Dei peruenire possunt, *fontem constituunt*, hoc est, recreāt se consideratione fontis illius diuini, ad quem per siticulosa loca contendunt. *Benedictionum pluuia*, id est, quæ ferè mittitur ad communicandam cum terra bene-

dictionem

dictionem Dei, & fœcundat eam. Vides igitur etiam felices esse, quibus difficilis est alioqui ad Ecclesiam Dei aditus, modò ad ipsum perueniant: difficultas enim perueniendi ad Deum non aufert felicitatem nostram, siquidem eum tandem consequamur. Sed ij demum felicitatis huius idonei iudices sunt, qui quã benignus sit Dominus, & quanta sit in eius præsentia suauitas, semel degustarunt.

Pergunt ab acie. Ratio beatitatis eorum qui difficili ad Ecclesiam itinere vtuntur, ab euentu. *Pergunt*, inquit, *ab acie ad aciem*, id est, posteaquam, confecto iã difficili itinere, in Ecclesiam ventum est, à cœtu vno sacro ad alterum quotidie obeunt, ad exercendum publicè totũ cultũ Dei. Metaphora est à re militari. *Et comparet*, Id fit ex lege, Exod. 23. 17. Arguit igitur felicitatẽ eorum qui difficili ad Ecclesiam itinere vtũtur, ex præclaro euẽtu. Nã beatitatẽ ex euẽtu metiri oportet, non autẽ ex mediis quibus euentum consequimur. Ideò Dominus Math. 5. Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, quò significat beatitatem, non tam in luctu esse, quàm in consolatione. Significat tamen luctum necessarium esse ad consolationem, medium, adeò vt nisi lugeamus in hac vita, non sit futura in altera cõsolatio, nisi per inferos quodã-

Ratio felicitatis istius, ab euentu.

modo transeamus ad cœlos non simus peruenturi.

9 *Iehoua, Deus exercituum, audi orationem meam, auribus percipe, ô Deus Iahhakobi.* Sela.

10 *O scutum nostrũ, aspice, ô Deus, & intuere faciem Christi tui.*

11 *Nam melior est dies vnus in atriis tuis, quàm mille: eligo frequentare limen in domo Dei mei, magis quàm habitare in tentoriis improbitatis.*

12 *Quia Sol & scutum est Iehoua Deus, gratiam & gloriam dat Iehoua: non cohibet bonum ab ambulantibus in integritate.*

Secunda pars psalmi, precatio.

Iehoua Deus. Secunda pars psalmi, precatio: precatur autem Deum, vt ex misericordia sua, ipsum reducat ab exilio in Ecclesiam suam. Petitio est duobus versibus, Ratio est ad vers. 13. Conclusio precationis est vers. 13. Petitionis fundamentum quo ipsa nititur facilè conspicitur, ex titulis & nominibus quibus Deum compellat. est autem fundamentum petitionis, apprehensio Dei, *primùm* quidẽ in æterna sua essentia, vnde Iehoua nominatur: *deinde* in infinita sua potẽtia, vnde Deus exercituum & qui in potestate sua habet omnes exercitus & copias tá cœlestes, quàm terrestres. *Tertiò*, in misericordia sua, quàm exeruit in fœdere illo suo icto cũ Abrahamo Isaaco & Iahhakobo: vnde Deus Iahhakobi di-

Huius fundamentum.

bi dicitur. Neque enim precari Deũ possumus, nisi corde eum apprehendamus, non modò in æterna illa essentia sua, qua distinguitur ab omnibus rebus creatis, sed etiam in proprietatibus suis, maximè autem duabus, potentia, qua potest nos seruare, & misericordia, qua vult nos seruare. Hãc autẽ cordis apprehensionẽ in Dei nominibus & appellationibus exerimus, dũ eum Iehouã, dum Deũ exercituũ, dũ Deũ Iahhakobi, dum aliis deniq; nominibus inter precandũ eũ appellamus. Notãdũ in petitione quòd eãdẽ petitionẽ repetat. Ingeminatio hæc arguit seriũ rei expetitę desideriũ, sine quo non est inuocandus Deus: desiderium enim cordis, fundamentum precum est quoddam necessarium. Hinc vehementes illæ & ingeminatæ petitiones, quas ipsas rursus necesse est Deum audire. Quòd si verò non sit desiderium cordis, petitiones non nisi ieiunæ ac frigidæ existunt, quæ viciſsim non nisi ieiunum ac frigidum responsum à Deo reportant, & iudicium magis quàm beneficium aliquod procurant. Non enim est cum Deo perfunctoriè agendum.

Dei apprehensio qualis esse debeat.

Petitionis ingeminatio quid indicet.

O *scutum nostrum.* Quoties petit, toties Deum honorificè compellat, id quod argumento est, singulas voces ex singulis cordis apprehensionibus existere. Homi-

Honorifica Dei compellatio, quid significet.

nes vulgò dum superiores potestates alloquuntur, honorificos & crebros adhibent titulos, verùm fictos eos sæpenumero. At verò pij Deum suum honorificè compellant, ex interiori cordis sinceritate, reuerentia, fide, dilectione. Ex sinceritate enim cordis agere oportet cum Deo cordium scrutatore, & probare ei non tam vocem quàm animum: id autem fieri non potest citra ipsius Spiritum. Nemo enim dicit, Iesum esse Christum, nisi per Spiritum Sãctum. *Aspice.* Vt priùs aurem, ita nunc oculum Dei exposcit, neque enim conquiescunt pij priusquam sentiant omnes quasi sensus Dei sui in se occupari. vt enim qui non sapiunt nisi mundana ista, non videntur sibi viuere posse, nisi Principum huius mundi aurem patentem sibi & oculum in se defixum habeant: ita qui vitam illam æternam quærunt, toti pendent ex aure & oculo Dei, qui solus Author est vitæ, & in cuius facie est satietas gaudiorum.

Piorum zelus & ingenium.

Nam melior est dies vnus. Argumentum est petitionis, à lætitia illa quæ est in Ecclesia Dei. Hanc tractat comparatè, & exaggerat comparatione à minori, lætitiæ illius quæ est in tentoriis improbitatis, hoc est, quæ est extra Ecclesiam: extra quã nihil est nisi improbitas. q.d. Maior est lætitia vnius diei in Ecclesia, quàm est mille dierum

Petitionis argumentum à solida piorum lætitia.

dierum lætitia extra Ecclesiam. Hinc concludit, ergò *Eligo frequentare limen in domo Dei*, &c. præfert igitur lætitiam vnius diei in Ecclesia lætitiæ multorum dierum extra Ecclesiam. In causa est, quòd breuitatẽ temporis compenset grauitas & pondus lætitiæ illius spiritualis, quæ in Ecclesia est: Maioris enim ponderis est ac mouenti spiritualis illius lætitiæ vel mica aliqua, quàm est vniuersa huius mũdi lætitia. Nota, quòd si pauxillum temporis lætitiæ spiritualis, inchoatæ duntaxat in Ecclesia hac militante, tot partibus superet totum illud tempus lætitię quæ est huius mundi, quantum, obsecro, dicemus præstare æternitatẽ lætitiæ ipsius spiritualis, perficiendæ tandem in Ecclesia triumphante, præstare, inquam, lætitiæ huius mundanæ, quę non nisi momentanea est? Nam totum hoc tempus huius lætitiæ, si comparetur cum æternitate, quid aliud est, quàm momentũ quoddam, & lętitia ipsa mundana, si comparetur cum cęlesti illa, quàm vana & leuis est? Compara igitur cum momentanea leuitate mundanæ lætitiæ, æternum pondus excellenter excellentis gloriæ, vt cum Apostolo loquar, 2. Cor. 4.

Huius lætitiæ soliditas illustrior cum impiorum gaudio comparata.

Non dixit Propheta. *Magnam lætitiam*, quæ sit in Ecclesia, cùm causam attulit cur velit in Ecclesiam reduci: sed compa-

Cur comparatè de hac solida lætitia loquatur.

ratè dixit maiorem esse hanc lætitiã, quàm quæ sit totius mũdi lætitia: imò vnum diẽ huius lætitiæ prætulit mille diebus lætitiæ mundanæ: neque tantùm prætulit lætitiam hanc, quæ est in Ecclesia, lætitiæ illi quæ est in mundo: sed etiam mundana lætitia repudiata, spiritualem illam elegit. Hîc ideò obseruo non satis esse, si dicamus magnam in Ecclesia Dei lætitiam esse, nisi eã etiam præferamus toti lætitiæ huius mundi. Neque rursus satis esse, si verbo eam præferamus, nisi etiam eius delectum aliquem in vita faciamus. Moyses elegit potiùs affligi cum populo Dei, quàm frui cõmodis iniquitatis. Si igitur Moyses elegit afflictionem & miseriam Ecclesiæ, spretis voluptatibus planè regiis, quantò magis debemus nos eligere lætitiam eam, quæ est in Ecclesia Dei, spretis intereà omnibus huius mundi voluptatibus: quàm profectò ipsam, nisi aliquo certè modo eligamus in hac vita, profectò plenam illam voluptatẽ quæ in altera futura est, nunquam percipiemus.

Lætitia Ecclesiæ quo animo consideranda.

Mosis exemplum.

Quia sol & scutum. Ratio, cur eligat potiùs frequentare limen in domo Dei, à Deo ipso & ipsius præsentia in Ecclesia sua, tanquam Solis cuiusdam & scuti. Deus Sol quidam est, quia radius gratiæ suæ splẽdet in cordibus nostris, vt loquitur Apostolus.

Ratio ipsius delectus piorum.

us.2.Cor.4.Scutum autem eſt,quia prote- *Sol &*
git ac tuetur Eccleſiam ſuam & à ma- *ſcutum*
lis eam defendit : Nam extra Eccleſiam *Eccleſiæ,*
nulla protectio, nulla ſalus, vt & nulla lux, *Deus.*
nulla gratia. Sed voces has metaphoricas verba ſequentia exponunt, quibus dicitur *primùm*, *Dat Iehoua gratiam, & gloriam:* ideo enim Sol dictus eſt. *Deinde additur : non cohibet bonum ab iis qui ambulant in integritate* : hoc eſt, verè ac reipſa ex Eccleſia ſunt, ſed ſubaudi arcet ac cohibet malum ab Eccleſia & Eccleſiæ membris, ideo enim ſcutum dictus
eſt. Nota, qui demum illi ſint,qui eligunt *Qui ſint*
habitare in domo Dei,ſiue in Eccleſia:ni- *veri ſa-*
mirum ij ſunt ſoli qui Solem illum in Ec- *pientes.*
cleſia ſplendentem, & ſcutum illud quod Eccleſiam protegit,intuentur.Alij autem, quibus non affulſit ille Sol, & quos non protexit illud ſcutum, tantùm abſunt ab eo vt velint habitare in Eccleſia Dei, vt è contrà ab Eccleſiæ & Sanctorum ſocietate totis animis abhorreant. Permagni igitur intereſt, ſemel aſpexiſſe illam Dei in Eccleſia ſua præſentiam.

13 *O Iehoua exercituum,beatus homo,qui fiduciam habet in te.* *Conclu-*

Iehoua,beatus homo. Concluſio precatio- *ſio pathe-*
nis epiphonematica, in qua Dauid conſi- *tica & epiphone-*
derata illa Dei in Eccleſia ſua præſentia, *matica.*

beatum prædicat eum, qui cōfidit in Deo, hoc eſt, qui in Eccleſia eſt, fruitúrque illa Dei in Eccleſia ſua præſentia. Qui igitur intuetur Deum in Eccleſia ſua præſentem, non tantùm ipſe eligit habitare in Eccleſia, ſed & beatum eum iudicat, quicunque per fidem in Deum & charitatem, ad Eccleſiam ſeſe aggregat, atque is quidem ſolus eſt veræ felicitatis ac miſeriæ humanæ iudex, qui Dei in Eccleſia ſua præſentiam videt: is enim ex ea Dei præſentia, de hominis vel felicitate vel miſeria iudicat, & verè quidem iudicat. Deo igitur in Eccleſia ſua per Chriſtum Ieſum ſit omnis gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

Verus rerum iudex.



PSALMVS CXVI.

Argumentum.

Pſalmi huius partes ſunt quinque. *Primùm*, amorem ſuum erga Deum profitetur, eiúſque rei cauſam addit & amplificat ad verſ. vſque 7. *Secundò*, per fidem gloriatur cum anima ſua. *Tertiò*, cum Deo gloriatur, ad verſ. vſque 10. *Quartò*, profitetur infirmitatem ſuam quæ aliquando fuit, ídque per comparationem fidei quæ tum fuit, ad verſ. vſque 12. *Quinto* loco, conſilium capit gratias agendi Deo.

1 *Diligo Iehouam, nam exaudit vocem meam, deprecationes meas.*

2 *Nam inclinauit aurem suam mihi,*
cùm in diebus meis inuocarem ipsum:
3 *Et circundantibus me doloribus mortis,*
angoribúsque sepulchri obuenientibus mihi,
angustiam & mærorem inueniens,
4 *Nomen Iehouæ inuocarem, dicendo: ob-*
secro Iehoua, libera animam meam:
5 *Gratiosus Iehoua & iustus: Deus, in-*
quam noster misericors,
6 *Seruans simplices Iehoua, cum attenua-*
tus sum mihi confert salutem.

Diligo Iehouam. Prima pars psalmi vt di- *Prima*
ximus, in qua profitetur eam qua Deum *pars psal-*
prosequitur dilectionem. Est autem dile- *mi.*
ctio affectus quidam in corde quo, quis ex
petit κοινωνίαν & cõiunctionem eius quod *Dilectio*
diligit, quicquid demum illud sit. Quòd si *quid sit.*
autem amor alicuius erga aliquem arden-
tior sit, tum sanè, is qui diligit optat vnum
fieri, & quasi vnum hominem cum eo què
diligit. Paulus vim istam dilectionis, ex-
pressit, cùm dixit, *Os meum patefactum est*
erga vos, Corinthij, cor meum dilatatum est:
Non habitatis angustè in nobis, habitatis an- 2.Cor.6.
gustè in visceribus vestris. Quibus quidem 11.12.
verbis, innuit per affectum amoris sui erga
Corinthios ita dilatatum fuisse cor suum
vt eos quasi intra se & in gremium cordis
sui receperit, & vnum quasi cum eis eua- *Dilectio*
serit. Dilectio Dei est qua expetimus *Dei.*

2. Cor. 5. 6. κοινωνίαν & coniunctionem cum Deo. Paulus ait, *dum peregrinamur à Domino, confidimus quidem, sed approbamus magis migrare è corpore, & ire ad Dominum habitatum.* Vnde hæc approbatio Pauli? nimirum ex illo amore Domini sui, qui vt ibidem verſ.14. loquitur, ipſum conſtringebat, & eum perpetuò propiùs ad Dominum ferebat, atque ea cauſa eſt cur ſuſpirantes expectemus aduentum Chriſti: Amor enim quo Chriſtum amplectimur, expetit illam cum Chriſto coniunctionem.

Dilectionis Dei effectus. Eſt præterea quod in amore iſto requiritur, nempe, vt propter amorem Chriſti lubenter velimus amittere quæcunque chara habemus in hac vita. Sic Chriſtus ipſe apud Lucam, *Si quis venit ad me & non odit patrem ac matrem, fratres, ſorores, vxorem & liberos, atque etiam ipſam animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Quibus verbis ſignificat Chriſtus redimendam eſſe dilectionem ſui, vel odio rerum quarumque chariſſimarum, ſi non aliter ea obtineri poſſit. Atque hic quidem fuit amor Dauidis quem profitetur hoc loco. Eiuſmodi debet eſſe

Conſolatio ſumma. amor noſtrûm omnium qui eundem cum illo Deum profitemur. Atque eò quidem felices ſumus maximè, quoniam Deum illum Abrahami, Iſaaci, Iahhakobi, Dauidis

Patrem

PatremDomini nostri Iesu Christi habeamus,quem amemus , quem colamus.

Nam exaudit. Argumentum est dilectionis à beneficio liberationis suę,ex quo extitit serius quidam sensus misericordiæ erga ipsum diuinæ. Nota igitur perpetuò agnitionem bonitatis Dei,& sensum misericordiæ ac amoris ipsius erga nos, præcedere dilectionem nostram erga ipsum. *diligit nos*,inquit Iohannes,*non quia nos dileximus ipsum priores.*Impossibile enim est vt quisquam diligat Deum,nisi iam priùs charitas illa Dei in Christo Iesu effundatur in corde ipsius per Spiritum Sanctum.Dauid vbicunque locorum profitetur amorem suum ergа Deum,eius continuò rationem reddit ex Dei erga ipsum misericordia. *Ex intimis visceribus*,inquit,*diligam te.* Et quæ ratio?*Iehoua*,inquit,*firmitas mea, Iehoua petra mea & propugnaculum meum*, &c. quibus quidem verbis innuit causam cur ipse tantopere diligat Deum,esse Dei in ipsum misericordiam.Quòd si Deum volumus diligere(nisi autem eum diligamus miseri sumus) sed si Deum volumus diligere, nulla re magis opus est quàm obseruatione diligēti omnium eius beneficiorum, quibus nos perpetuò accumulat. Sunt enim ea totidem amoris eius erga nos testimonia.

Dilectionis argumentum à liberationis suæ beneficio.

Ioan. 4. 19.

Rom.5.5

Psal. 18.2. &c.

Diximus autem amorem Dei erga nos,

Beneficiorum Dei erga nos cōsideratio dilectionem erga eum acuit.

causam esse amoris nostri erga ipsum. Quare, ad hoc vt Deum ex animo diligamus, notanda sunt à nobis singula, quoad eius fieri potest, beneficia. Nam profectò quòd non exardescant corda nostra eo quo debent erga Deum amore, inde est quòd beneficia eius in nos, præsertim verò illud maximum omnium Redēptionis in Christo Iesu beneficium, tam securè intueamur: dum enim non ponderantur eius beneficia, non est amoris eius erga nos sensus. Cùm autem non est amoris eius sensus erga nos, quî potest fieri vt nos diligamus eum, nō priùs prouocati dilectionis ipsius sensu aliquo? *Exaudi deprecationes.* Igitur preces antecesserunt Dei beneficium & misericordiæ ipsius sensum. Nam his quasi gradibus peruenitur ad dilectionem Dei. Primùm, petimus à Deo beneficium aliquod siue temporarium illud, siue spirituale: Deinde posteaquam assequuti sumus beneficium, sentimus misericordiam ac amorem Dei erga nōs, tanquam fontem, ex quo beneficium illud emanauit. Denique, ex sensu amoris Dei erga nos, existit amor noster vicissim erga eum. Quamobrem ad hoc, vt quis seriò diligat DOMINUM, assiduæ debent esse preces. Nam, ex assiduis precibus & supplicationibus, assidua ad nos perueniunt

Dei

Dei beneficia, quæ totidem sunt amoris illius erga nos in Christo Iesu testimonia.

Nam inclinauit. Proximam rationem dilectionis suæ fusiùs explicat, in eáque amplificanda cōmoratur ad versum vsque 7, *In diebus meis*, Dies intelligit, afflictionis & angustiæ, vt sequens versus exponit. Eo sensu accipitur Diei vocabulum, Psal. 137. Recordare contra Idumæos diei Hierusalaimorum, id est afflictionis, qua Idumæi Ecclesiam affecerunt. Sic Lament. Ierem. 121. Nam tempora in quauis lingua *μετονυμικῶς* pro miseriis in temporibus accipi solent. Videmus igitur hoc loco afflictionem impulisse Dauidem ad preces. Nam sensus miseriæ excitat petitionem misericordiæ. Neque seriò precatur Deum quisquam, nisi quem mouet miseria sua. Vide igitur primùm fontem dilectionis illius quam proposuit, nimirū miseriæ suæ sensum, hinc preces, ex precibus rursum beneficiū liberationis, ex beneficio sensus amoris ac misericordiæ diuinæ, ex sensu amoris ac misericordiæ diuinę amor noster vicissim in Deū. Hic igitur beatitatis nostræ primus gradus est, vt sétiamus ipsi quā miseri sumus: & bonū est affligi. Bonū est, inquit Dauid, mihi, quòd humiliasti me. Vide afflictionū effecta, Rom. 5. *Oppressio*, inquit, *efficit patientiā, patientia verò ex-*

Fusior explicatio proximæ rationis, de dilectione sua.

perientiam, experientia autem spem. porrò spes non pudefacit. Etsi enim radix amara videatur, tamen producet tandem suaues fructus. Vide Heb. 12. 11.

Planior priorum dictorum explicatio.

Et circundantibus. Rursus quod dixit proximè planius declarat. *Primùm* autem ob oculos nobis ponit discrimē illud præsens in quo constitutus fuit. *Deinde*, ex discrimine & periculo, dolorem suum. *Tertiò*, post dolorem liberationem. Hæc autem habemus ad vers. vsque 7. Primùm itaque depingit nobis periculum his verbis. *Et circumdederunt me.* quibus verbis innuit extremum & præsentissimum periculum, vide 2. Sam. 22. 5. & Psal. 18. 5. Dauid in hoc periculo & angore constitutus, prope in desperationem quandá actus est. Nā, vt postea videbimus vers. 11. erupit in voces infidelitatis, & Samuelem mendacij insimulauit, quasi regnum Israëlis non ex Dei Spiritu, sed ex sensu humano ipsi promisisset. Vnde discimus quanta sit vis afflictionum & doloris etiam in piis. Neque temerè iudicandum esse de dolore ac impatientia hominum, cùm affliguntur grauiùs & exercentur manu Dei. Dauid conquerebatur alibi, *Cùm silerem*, inquit, *inueterascebant ossa mea, in rugitu meo toto die:* vbi profitetur se ad tempus in afflictionibus rugiisse potiùs more leonis, quàm humanam

Vis afflictionum & dolorum.

Psal. 32. 3.

manam vocem edidisse. *Angustiam, &c.* his verbis dolorem suum qui fuit ex præsenti periculo exponit.

Nomen Iehouæ. Hîc habemus liberationem ex periculo post dolorem. Primùm autem docet se inuocasse nomen Iehouæ, atque prima hæc gratia fuit, & præparatio quædam ad liberationem sequentem. Nã profectò si comparemus donum hoc precãdi, cum liberationibus temporariis quibuscunque, maius quoddam donum est Spiritus precum, quàm sunt omnes liberationes istæ temporariæ: & qui Spiritum precum in afflictionibus & periculis consequutus est vel solum, is plus obtinuit à Deo, quàm si vitam hanc & omnem liberationem temporariam fuisset consequutus: & certum est eum, cui Deus dederit Spiritum illum quo precetur, non frustrà precaturum, sed consequuturum liberationem, vel temporariam, vel æternam Vnde Paulus Rom. 8. certitudinem futuræ gloriæ ex eo probat, quòd Spiritus interpellet pro nobis suspiriis inenarrabilibus. Summam petitionis Dauidis comprehensam hîc habemus.

Liberantur pij tãdem ex oppressionib. suis.

Spiritus precum, thesaurus pretiosissimus.

Obsecro, inquit, *Iehoua, libera animam meam.* Ergo petit liberationem. Nota igitur, cùm Dauidem premeret afflictio exterius, interiùs autem dolor, hoc est, non

Liberationis petitio.

bono in ſtatu eſſent res eius, neque bona eſſet animi ipſius conſtitutio, tum Deus ita conſtitutum & affectum Dauidem non voluit tolli è medio. Nam ſi mors eum ſic affectum oppreſſiſſet, profectò non tantùm præſens vita, ſed & futura in diſcrimen adducta fuiſſet. Verùm, priùs miſſo Spiritu ſuo correxit animum interiùs, & flexit ad preces, deinde è periculo eum liberauit. Nota igitur, pios ſæpe in extremum diſcrimen adduci, neque tantùm exteriùs, ſed etiam interiùs malè habere, atque in deſperationem aliquam nonnunquam agi, in qua iam conſtitutis iis, ſi Deus vitam hanc ipſis eriperet, vel opprimi eos ſineret, periclitarentur de altera vita. Verùm, ita cum ſuis ſolet agere Deus, vt non niſi bene certo quodam modo affectos animo, & ſuo Spiritu inſtructos de vita hac auferat: cùm è contrà impios malè affectos, & in deſperationem actos, ſinat perire non conuerſis ad ſe eorum animis ante extremum ſpiritum. Secundò obſerua: videmus hîc extremum refugium Dauidis eſſe Deum. Boni & Mali pariter obnoxij ſunt calamitatibus huius vitæ: priuſquam ventum eſt ad extremum diſcrimen, ſuperiores videntur eſſe Mali. Nam quæ huius mundi ſunt omnia illis ferè ad manum ſunt, plurimas habent euaſiones:

Piorum tentationes.

Dei erga ſuos charitas.

uaſiones:

uaſiones: vbi verò ventum eſt ad extremum,& cùm deficiunt huius mundi adiumenta omnia, tum longè ſuperiores illis ſunt boni & quotquot DEO confidunt. Nam DEUS illis effugium eſt. Impij autem in deſperationem aguntur.

Gratioſus Iehoua. Sequitur effectum petitionis DAUIDIS, liberatio è præſenti periculo. Cùm, inquit, attenuatus ſum, DEUS mihi confert ſalutem. Non effertur hoc ieiunè ac nudè, ſed Deum ſuum deſcribit congruenter inſtituto, primùm à gratia, iuſtitia & miſericordia ſua, deinde à generali effecto harum cauſarum. *Gratioſus.* DICITUR DEUS *gratioſus*, quia ex gratia ſua mera, ſine merito hominum, cõfert in nos beneficia omnia. *Iuſtus* dicitur, quia verus eſt ac fidelis in promiſſionibus ſuis. Nam iuſtitia, ſi quando iungitur cum liberatione, vt cùm dicitur Deus iuſtus quia liberat nos, tũ fides eſt in promiſſionibus: vt Pſal. 31.2. *In iuſtitia tua libera me.* & Pſal. 51. *Libera me à ſanguinib. ô Deus, Deus ſalutis meæ, & cantabit lingua mea iuſtitiã tuam.* Poſtremò *miſericors* eſt, quia reſpicit miſeriam afflictorum. Miſericordia enim ad miſeriam refertur. *Seruans ſimplices.* Hoc illud generale effectum eſt ex ſuperioribus DEI proprietatibus. *Simplices* hoc loco ſunt deſtituti humana ope & conſilio, & qui interim

Effectum petitionis, liberatio.

Dei deſcriptio.

Gratioſus.

Iuſtus.

Miſericors.

Seruans ſimplices.

ſimplici animo committunt ſeſe Deo.

Vſus deſcriptionum Dei quæ in ſcripturis occurrũt. Deſcriptio iſta Dei accõmodata eſt ſequenti effecto liberationis Dauidis. Ná pij illi viri, ſi quádo mentionẽ fecerunt diuini alicuius effecti, Deũ efficiẽtẽ deſcripſerũt, prout effecto cõueniebat, & vel iuſtũ, vel potentem, vel ſapientem, vel miſericordem compellarunt. Paulus dicturus de viuificatione, tam Iudæorum quàm Gentium, Deum ex viuificationis cauſa, nempe miſericordia ſua, primùm deſcripſit. *Ephes. 2.4.* *Deus*, inquit, *qui diues eſt miſericordiâ, propter multam ſuam charitatem, qua dilexit nos, viuificauit nos vnà cum Chriſto:* nimirum, viuificationis beneficium diligenter conſiderauit, & penitus animo percepit. Hinc, ad cauſam ipſam, nempe Dei miſericordiam, aſcendit. *Ingenium piorum, de Dei effectis cogitantium.* Nam qui de effectis Dei seriò cogitant, illi etiam de cauſis effectorum quæ in Deo ſunt, non minùs ſeriò cogitant, Deúmque in his glorificant. Omninóque, pro vt quiſque ponderat Dei effecta & beneficia, ita Dei ipſius apprehenſionem habet vel leuiorem vel grauiorem: adeò vt vel ex ipſa Dei appellatione deprehendas quantopere commoueantur homines Dei operibus, ſi quando de iis loquantur. Ná ſi interea dum de operibus Dei loquuntur, Deum non nominant ea cũ reuerentia qua debent, profectò id argu-

mento

mento est, Dei operum leuem duntaxat apprehensionem esse.

7 *Redi, anima mea, in requiem tuam, cùm Iehoua beneficus sit erga te.*

8 *Quandoquidem eripuisti meipsum à morte, oculos meos à lachrymis, pedem meum à lapsu.*

9 *Continenter ambulabo coram Iehoua, in regionibus viuentium.*

Redi, anima mea. Secunda pars Psalmi, gloriatio fidei, tum apud animam suam, tū apud Deum: ac primùm gloriatur apud animam suam, *Redi*, inquit, *anima mea in requiē tuam.* Requiem hanc siue pacem opponit angustiæ & mœrori, de quo suprà vers. 3. q.d. Ne amplius te perturba, ne in mœrore esto, sed iam tandem requiesce. Causa addita est, *Nam Deus beneficus est tibi.* Est igitur ratio, à præsenti Dei beneficio. Quæri potest hoc loco, An Dei beneficium tranquillet animum hominis perturbati? quòd si ita sit, quæ est efficacia fidei siue spei quæ est rei absentis? Respondeo, cùm duo sint, fides, sub qua spes, & præsens rei fruitio: fides quidem multum virium habet ad tranquillandum & pacādum animum perturbatum. Verùm, rei ipsius præsentia plus virium habet, ad eam rem efficiendam. Fides quidem, quæ respicit vitam illam futuram, & quodammodo

Secunda pars Psalmi, gloriatio pia apud seipsum.

De efficacia fidei & spei.

præsentem exhibet, ministrat, fateor, pac[...] omni cognitione superiorem. At verò quanta erit pax ista, cùm vita illa futura plenè perfectéque fruemur?

Liberationis & omnis beneficij author, Deus.

Illud non est silentio prętereundũ, quod Iehouam nominet huius beneficij & liberationis authorem. *Iehoua*, inquit, *beneficu[s] est tibi.* Non dixit, nudè ac ieiunè, anima suæ, quia liberata es è præsenti periculo sed Deum authorem liberationis nominauit. Hinc illa requies: plus enim quiddam est Deus ipse author omniũ beneficiorũ & plus viriũ habet conscientia Dei authoris, ad pacandum animum, quàm haben[t] omnia Dei beneficia. Nã (si propriè loquamur) nõ tam donum ipsum quàm animu[m] dantis beneuolus pacat animum nostrum

Fallax & vera pax.

Fallax est illa pax quæ est ex beneficiis dũtaxat his temporariis ac mundanis, cuiusmodi fuit diuitis illius, qui postea quàm horrea ipsius amplificata ac impleta essent promisit animę suę pacem omnem ac felicitatem in posterum. Nam quid tum audiuit, *Auferent*, inquit, *ô stulte animam tuam à te* hac ipsa nocte.

Luc 12. 20.

Tertia pars Psalmi gloriatio apud Deum.

Quãdoquidẽ. Nũc gloriatur apud Deum q.d. nõ peribo nunc, sed viuam inter viuos hoc n. est quod ait, *Continenter ambulabo i[n] terra viuentium*, neque id modò dicit, se[d] *viuam*, inquit, *coram Iehoua*, hoc est, rect[è]

& in-

& integrè viuam, sic vt vita mea glorificetur Deus. Neque abs re hoc adiectum est. Nam nisi coram Deo ambulemus in hac vita, dum viuimus mortui sumus, vt Paulus loquitur de vidua illa quæ in luxu viuit: *Viuens*, inquit, *mortua est*. Argumētum autē gloriationis suæ petit ab ipso Dei dono, quod tribus gradibus amplificatur. *Eripuisti*, inquit, *meipsum à morte* : neque id modò, sed, *liberasti me ab omni dolore*, neque id tantùm, sed liberasti me *ab omni impedimento*, quod quouis modo mihi posset dolor accersere. 1. Tim. 5. 6.

Disce hoc loco, *primùm*, non esse materiam gloriationis nisi in Dei sola gratia ac in solo Deo. *Vbi*, inquit Paulus, *est gloriatio tua? exclusa est. per quam legem? Operum, imò per legem fidei*. Quo significat nullam oportere gloriationem esse in operibus nostris, ne in operibus quidem regenerationis. Nā ipse Abraham regenitus non habuit quod in operibus gloriaretur apud Deum. Opera enim regenerationis nuper facta sunt omnia: quare qui gloriari cupit, in solo Christo eiúsque merito glorietur. *Secundò*. obserua, Dauid hîc loquitur de liberatione sui tanquā plena perfectáque. Atque postea expositus est multis magnísque periculis, & in dolore fuit. Quamobrē necesse est hîc aliam liberationē aliámque vitā, *De materia vera gloriationis.* Rom. 3. 27. *Fides piorum sub lege, scopum habuit Christum, & gloriam Dei in vita æterna.*

q̃ hãc præsentẽ, respexerit. Neq; n. verisimile est tam piũ virũ tantopere gloriatum de vita hac temporaria, in qua nulli vnquã pij viri conquieuerũt. Verùm vt dicã de patribus illis qui ante Christũ vixerũt, ij quidẽ perpetuò sub figuris, & quasi vmbris rerum temporalium, respexerunt res æternas, & in liberationibus, ac beneficiis quibuscunque temporariis, introspexerunt quasi æternam illam Redemptionem, spiritualia ac cœlestia omnia. Et ferè temporaria ista omnia & terrena dabantur eis, tanquam vmbræ benedictionum spiritualium in Christo Iesu. Nobis autem temporaria beneficia omnia totidem arrhabones esse debent spiritualis illius ac cælestis vitæ plenæque Redemptionis, quam tunc assequemur, cùm Christus secundò venerit.

10 *Credidi cùm hæc loquerer, ego fatus fueram supra modum.*

11 Ego *dixeram accelerando, Omnis homo est mendax.*

Quarta pars, confessio propria infirmitatis & incredulitatis.

Credidi cùm hæc. Quarta pars Psalmi in qua profitetur infirmitatem adeóque incredulitatem suam priorem, eámque comparatione præsentis fidei illustrat. Sensus est, cùm sic gloriarer, partim apud animam meam, partim apud Deum, triumphauit in animo meo fides. Paulus ad se applicat hęc Prophe-

Prophetæ verba, & ad hunc modum reci- 2. Cor. 4.
tat. *Credidi*, inquit, *Ideóque loquutus sum*, vo- 13.
bis, ô Corinthij, de vita illa spirituali ac
æterna, fretus hac fide vel fiducia, quòd i-
pse ego aliquando à morte resurrecturus
sum. Nam quę quis loquitur aliis de Deo,
de Christo, de beneficiis ipsius, primò o-
mnium ipsi credenda sunt, hoc est appli-
canda sunt animo loquentis: sic enim futu-
rum est, quemadmodum loquitur Aposto-
lus, vt maiori in loquendo libertate ac eui-
dentia vtatur. Cùm ait ibi, talem spem *ha-* 2. Cor. 4.
beamus, hoc est fiduciā ex tā glorioso Mini- 13.
sterio, *multa in loquendo libertate vtimur.*

Ego fatus. Hactenus de fide sua in præ-
sentia, sequitur infidelitas ac infirmitas,
quæ aliquando fuit, quamque illustrat præ-
senti sua fide. primùm his verbis est pro-
positio illorum sermonum, qui ex infirmi-
tate profecti, modum exsuperarant. *Ego
dixeram.* Explicatio propositionis, q.d.
subita perturbatione carnis abreptus dixe-
ram. Sic loquutus est Psal. 31. Ego dixeram
in festinatione mea. *Omnis homo.* Hæc sunt
verba illa ex perturbato animo profecta.
q.d. Nunc video fidem non habendam ho-
minibus, ne ipsis quidem Prophetis. Sa-
muel enim indicauit me ad regnum Israe-
lis peruenturum esse. Nunc autem reipsa
experior eum non Dei Spiritu propheti-

cè, ſed ſuo ſenſu humanitùs ac mendaciter loquutũ eſſe. Sic Dauid, ex infirmitate, nõ Deũ apertè, ſed Samuelẽ perſtringebat mẽdacij, quaſi Dei volũtatẽ nõ ſatis exploraſſet, ſed trãſiliiſſet limites vocatiõis ſuę. Sic Pſal. 31.23. ex pturbato animo erupit in hãc vocẽ, *Excisus ſum è cõſpectu oculorum tuorũ.*

Varius fidelium ſtatus in vita mortali.

Vides igitur quo in ſtatu ſint res fideliũ dũ hîc viuũt. Nũc quidẽ prę infirmitatę detrudũtur vſq; ad inferos, nũc verò rurſus fide euehũtur vſq; ad cœlos: verùm fidei demũ eſt victoria. Dauid poſteaquã ex infirmitate pene blaſphemauit, ex fide deinde triũphauit. Fieri quidẽ poteſt vt in primo conflictu ſuperiores quaſi partes habeat caro, & vt loqtur Apoſt. Rõ. 7. Lex mẽbrorũ captiuũ reddat hominem legi peccati quod eſt in membris. Attamen id ſentiunt in ſe fideles perpetuò, poſtremam victoriã eſſe Spiritus Sancti, quod profectò argumento eſt carnem tandem aliquando penitus profligandam eſſe, & victoriam penes Spiritũ plenam perfectámque futuram. Non eſt interim hoc prætereundum hîc, quòd Dauid prodat gloriando inſignem fiduciam, nimirum quia magna fuit antea infirmitas? Nam in conflictu carnis & Spiritus, quò magis deiicitur quis ſenſu infirmitatis ſuæ, eò magis attollitur per fidem: quo maior dolor in lucta, eò maior lætitia & gau-

Pugna ſpiritualis euentus.

diũ per Spiritum Sãctum post luctam. Postremò, id videndum est, quòd dicit accelerando ista à sese dicta, hoc est ex subito quodam carnis motu. Ex quo nota discrimen inter infidelitatem eam, in quam nonnunquam incidũt pij, ac infidelitatẽ impiorũ & cõtumacium. Pij nõnunquã ex subito carnis motu & infirmitate diffidũt. Sic Petrus ex infirmitate abnegauit Dominũ. At in ipsa (vt sic loquar) diffidentia aliquẽ dolorẽ sentiunt, neque securè adeò diffidunt quin in has voces nõnunquam erumpant, O me miserum, quis me liberabit à corpore mortis huius! Impij cõtrà, non ex subito aliquo carnis motu & infirmitate, verùm ex cõfirmata malitia diffidũt Deo, vt ij fecerunt qui Christi opera Diabolo adscripserunt, & Hæretici omnes, qui posteaquam conuicti sunt Scripturæ testimoniis, malitiosè tamen resistunt veritati. Atque hinc est quòd cùm impij, qui ex malitia diffidũt, rarò misericordiã cõsequãtur: Pij, qui ex infirmitate carnis diffidunt, resipiscãt, & misericordiã inueniãt. Hæretici rarò conuertuntur: Petrus conuersus est, Dauid misericordiã assequitur, vt hoc psal. & psal. 51.

Incredulitas duplex, pro ratione incredulorum.

12 *Quid rependerem Iehouæ? omnia beneficia eius superant me.*

13 *Poculum omnis salutis acceptum exhibebo, & nomen Iehouæ prædicabo.*

14 *Vota mea Iehouæ rependens; mox coram toto populo eius dicendo.*

15 *Pretiosa est in oculis Iehouæ mors intentata iis quos ipse benignitate prosequitur.*

16 *Obsecro, Iehoua, cùm ego sim seruus tuus, sim seruus tuus, filius ancillæ tuæ, solueris vincula mea, pretiosa sit vita mea.*

17 *Tibi sacrificabo sacrificium gratiarum actionis, & nomen Iehouæ prædicabo.*

18 *Vota mea* Iehouæ *persoluam, mox coram toto populo eius.*

19 *In atriis domus Iehouæ, in medio vestri Ieruschalaima. Halelu-Iah.*

Postrema pars continens cõsilium de gratiis Deo agendis.

Quid rependerem. Quinta pars Psalmi, in qua consilium capit de gratiis Deo agendis. In deliberatione significat ac profitetur, se imparem esse tot tantísque ei beneficiis compensandis. q.d. non est penes me rependere Iehouæ, beneficia enim eius maiora sunt quàm quæ à me compensari possint. Proponit igitur *primùm*, non posse se rependere Iehouæ, hoc est compensare ipsius erga se beneficia. *Deinde*, rationem reddit ex magnitudine beneficiorum Dei.

Qua ratione nitatur istud consilium.

Considerata enim beneficiorum Dei impari magnitudine, ex parte vna: ex parte autem altera, considerata impotentia ac tenuitate sua: victus incomparabili beneficiorum Dei magnitudine, anxius quærit, & quodam modo exclamat, *Quid rependerem*

derem Iehoua? quasi dicat, Non est penes me, tot tantáque Dei beneficia compensare. Ergo argumentum est, non tantùm à magnitudine beneficiorum Dei, sed etiam ab impotentia, tenuitate, & (vt sic dicam) paruitate sua. Vno verbo, ex eo est argumentum, quòd nulla sit analogia & proportio inter se suásque vires & Dei beneficia. Nam quæcũque officia hominis erga Deum, tantùm absunt ab eo, vt mereantur de Deo aliquid, vt imparia sint beneficiis illis à Deo acceptis, compensandis.

Quæ igitur insania est eorum, qui putãt se operibus suis non tantùm repẽdere Deo, hoc est, compẽsare collata iam beneficia, sed etiam demereri noua, præsertim maxima illa, iustitiam & vitam æternam? Discimus hîc rursus eam esse liberalitatem Dei erga nos, quæ non expectet mutuam & parem compensationem à nobis: imò quæ ne possit quidem. Id enim argueret Deum bono nostro indigere, at Deus in seipso perfectissimus est, ad cuius beatitatem nihil addi potest, & de cuius felicitate nihil demi potest. Constitit enim ipsi gloria sua & felicitas, ante iacta mundi fundamenta. *Glorifica me, Pater*, inquit filius Dei, *ea gloria quam habui apud te, ante iacta mundi fundamenta.* Et idem alibi, *Ego gloriam ab homine non capto.* Creaturæ in eo vel felici-

Nouorum pharisæorum insania, refellitur.

Ioan. 17. 5.
Ioan. 14. 5.

Creatura felicitas. tas vel miseria posita est, quòd vel glorificet vel non glorificet Creatorem ac Redēptorem suum. Hæc autem Dei liberalitas nobis proposita est ad imitationem, vt demus mutuò, nihil inde exspectātes. Intereà illud nobis nō est prætermittendum, eā esse magnitudinem ac dignitatem sacrificij Christi, quæ nostra causa ac vice non modò compenset omnia Dei beneficia, sed etiam de Deo mereatur nō solùm vulgaria ista beneficia, sed etiam quæ longè maxima sunt, iustitiam ac vitam æternam. Hîc si quæratur, annon hoc fuit superbi animi, vel semel conari par pari Deo rependere? Respondeo, Dauidem non tam conatū Deo rependere his verbis, quàm submisso animo professum esse, quàm nullis fuerit viribus, quā impar ad cōpensandū.

Dei liberalitas quid nos doceat.

Sacrificij Christi dignitas.

Humilitas vera fidei.

Poculum omnis. Hactenus, addubitatio fuit, & interrogatio: sequitur responsio & quasi resolutio, qua, post deliberationem & addubitationē, concludit apud animum suum Deo se gratias repēdere: hoc enim solū est quòd potest facere: imò ne id quidē potest facere sine Dei gratia. *Primùm* itaq; proponit se gratias acturum Deo: *Deinde*, formam gratiarū agēdarū in mediū affert, hoc est formulā precū, qua apud Deū vsurus est, *Postremò*, gratiarū agendarū propositionē repetit atq; cōcludit. Propositio est his

Tandem fides triumphat, Deo gloriam tribuens.

Propositio pia.

his verbis, *Poculum omnis salutis.* Vt hanc propositionē intelligamus, opus est nōnihil repetamus ex historia quæ est 1. Chron. 15. vbi post introductam à Dauide arcā in vrbē Hierosolymitaná, duo eū fecisse legimus: primū holocausta & εὐχαριστικὰ sacrificia Deo obtulisse: secundū, epulū sacrum fecisse populo ad recordationē beneficiorū à Deo acceptorū. Hoc igitur loco proponit se vtrūque illud facturū. Nam quòd ad conuiuiū attinet, *Poculum*, inquit, *omnis salutis acceptum exhibebo*, hoc est, epulū sacrū faciā populo, in recordationem omniū liberationū mearū, & poculū propinabo omnib. bibēdū in ppetuā liberationū mearū memoriā. Deinde, quod ad holocausta & εὐχαριστικὰ se illa oblaturum proponit his verbis, cùm, inquit, *Nomen Iehouæ prædicabo, Vota mea Iehouæ rependens, &c.* *Huius partes.* *Poculum salutis.* *Holocausta eucharistica.*

Quòd ad vota: hoc tantùm de iis admonemus, infirmitati nostræ subseruire. Primùm in periculis confirmant fidem liberationis: vbi enim voto nos obstrinximus Deo nostro, tum spē liberationis certiorem concipimus. Deinde ad gratiarum actionē magis nos excitant, postquá iā liberati sumus. Nā voto obligati, necessitatem quandam nobis impositá esse sentimus, ad gratias Deo agendas. In votis cauēdum est imprimis, ne sint de rebus illicitis, & Dei ver- *De votis locus.*

bo non permissis, qualia sunt hodierno die illa Papistarum & Monachorum, quibus Deo non seruiunt, sed Deum tentant: infirmitatem suam non subleuant, sed maius onus illi imponũt: cuiusmodi votum, inter cætera est, illud de cælibatu.

Agnitio impotentia nostræ præcedit gratiarum actionem.

Quòd obseruandum occurrit primùm hoc loco, illud est, quòd primũ agnoscat, quàm nulla sint ipsius officia in Deum præ magnitudine beneficiorum Dei: deinde ad gratias agendas descendat: quo quidẽ ordine monemur agnitionem impotẽtiæ nostræ qua impares sumus Dei in nos beneficiis compensandis, antecedere seriam gratiarum actionem. Neque enim is vnquam seriò & ex animo gratias egerit cuiquam pro beneficio accepto, qui opinione quadam virium suarum, quibus beneficiũ reipsa compenset, ductus fuerit. Vir potens aliquis, cùm aliquid beneficij acceperit ab impotẽtiore & paupere, non dignatur hominem gratiarũ aliqua actione: existimat enim posse se nõ solùm par, sed etiam plus rependere, cùm lubitum fuerit. Cõtrà, pauper aliquis accepto à potẽtiori beneficio, conscius sibi inopiæ suæ, quòd nullis sit ad compensandum viribus, id quod solùm potest facere, verbo gratias agit. Pharisæus ille qui vnà cum Publicano ascendit ad templum, vt Dominũ precaretur, precatus quidem

Confirmatio sẽtentiæ, à simili.

Ab exemplo.

quidem est in hæc verba, *Ago tibi gratias, quòd non feceris me similem aliis iniustis, rapacibus, mœchis, neque huic etiam Publicano,* (hominem enim procul stantem digito demonstrauit) tum addidit, *ieiuno bis in hebdomade, decimas persoluo.* Non solùm gratias agere voluit ob beneficia à Deo accepta, sed etiam cum Deo rationem inire voluit dati & redditi: quasi verò ipse etiam beneficia illa quæ à Deo data esse commemorauit, officiis suis erga Deum compensauerit. At quid effecit huiusmodi gratiarum actione? quid profecit? re infecta dicit Christus eum domum rediisse: Vt discant omnes, inter agendum gratias Deo, non præfidere intereà merito suo: neque iustitiam suam apud Deum venditare, qua si ipsi iustitia sua non modò cōpēsent Dei in se beneficia, sed etiā de Deo mereantur.

Pharisæorum merces.

Hîc rursus docemur agnitionem impotentiæ ac tenuitatis nostræ existere ex beneficiorum Dei diligēti examine & pōderatione: itē ex cōsideratione facultatū nostrarū, an eę respōdere possint tot tantísq; Dei beneficiis. Quāobrem ita tandē sentiemus quàm impotētes, imò quā nihil simus si beneficia Dei erga nos simúlq; vires ac facultates nostras pōderauerimus, & quasi lance trutinaremus, ipsis inter se cōparatis. Nam ita demū futurum est, vt perspecta

Agnitio miseria nostræ vnde oriatur.

summa illa inæqualitate beneficiorum Dei & viriũ noſtrarũ, agnoſcamus quãti & quot ſint in nobis defectus, & quàm non ſimus ſoluendo. Vis igitur ex animo Deo gratias agere, & omnem gloriã beneficiorũ ſuorũ ipſi in ſolidum tribuere? agnoſce quàm ipſe inops ſis, & quàm nihil habeas, quod Deo rependas. Vis autẽ hoc agnoſcere? examina diligenter & inter ſe compara Dei in tè beneficia, & facultates ac vires tuas. Quòd ſi in agendis Deo gratiis, hoc ordine procederemus, profectò magis ex animo, magíſque seriò, quã ſolemus, Deo gloriã omnem beneficiorum ſuorũ tribueremus.

Quomodo affectas eſſe oportet piorũ mentes.

De grati animi ſignificatione, ſeu gratiarum actione.

Hîc rurſus obſerua in Dauide grati animi ſignificationẽ. Vouet Deo & votũ rependit. Gratitudo hæc in promittendo, & promiſſi præſtatio, non eſt numeranda in minimis Dei erga nos beneficiis: Ex gratia enim Dei ſingulari eſt, quòd Deo pro beneficio accepto grati ſumus: plerique enim omnes proniores ſumus ad implorandã aliquo modo Dei opẽ, & viuendum ei, cũ grauiori aliquo periculo vrgemur, quàm ſumus ad agẽdum gratias, & perſoluẽdũ Deo vota noſtra, poſtquã iam Dei beneficia in nos ſunt collata. hæc tamẽ duo inſeparabili nexu cõiungẽda eſſe admonet Propheta Pſal. 50. 14. *Sacrifica Deo laudẽ, & redde Excelſo vota tua, atque inuoca me tẽpore angu-*

stiæ: eripiã te vt honore afficias me. Puto equidẽ eũ hominẽ nõ seriò, & eo quo oportuit animo petiisse aliquid à DEO, qui postea quàm illud iá cõsequutus est, immemor est beneficij & gratiarum actionis: Nã idẽ ille Spiritus qui docet nos precari vt oportet, & interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus, docet nos pro beneficio accepto DEO gratias agere, ídque cum gaudio quodam ac lætitia animi ineffabili.

Postremò, hîc obseruãdũ est, summũ istũ fuisse gradum actionis gratiarum, quem DAVID DEO suo promisit. Maximum enim beneficium maximas gratias requirit: maximæ autem gratiæ sunt quæ DEO aguntur non clàm, sed palàm, inspectante & audiẽte tota Ecclesia. DAVID siquando promittit vel offert DEO officium maximum, profitetur se non posse offerre vel promittere DEI officium aliud isto maius, quàm vt DEŨ laudet in publico cœtu Ecclesiæ suæ. Maior enim est publica gratiarum actio quàm priuata. Nam dum publicè agis DEO gratias, totus populus dicit, Amen. Ideóque tecum vnà DEUM glorificat. Inde est quòd voluerit Deus populum in vnum cõuenire, sibíque vnà gratias agere in Ecclesia, nempe quò maior sit ipsi laus, honor & gloria.

De maxima gratiarum actione.

Pretiosa est in oculis Iehouæ. Hæc est for-

Actionis gratiarũ formula.

mula illa actionis gratiarum, quam sequendam sibi proponit. *Primùm* commendat Dei erga suos prouidentiam, tam in vita quàm in morte ipsorum. *Deinde*, prouidentiam hanc Dei confirmat ab experientia sua. Primùm itaque, *pretiosa est*, inquit, *mors*. Putant homines vulgò dum affligi ac variis malis exerceri pios vident, putant, inquam, tum Deo suo eos non esse curæ, siue viuant, siue moriantur. Atque hinc inde est, quòd persequutores ipsi existimantes Deum eorũ vitã mortémque iuxta æstimare, magis aduersus eos insolescant, tanquam totidem vilia & abiecta mancipia. Huic igitur peruersæ hominum opinioni opponit Dauid, hoc loco, egregiam hanc sententiam, *pretiosa est in oculis Iehouæ*, &c.

Quo sensu hæc de morte piorum efferantur.

Qua significat *primũ*, non permittere Deũ sæpenumero, vt sui moriantur, sed eos sæpenumero è maximis periculis, & ex ipsis etiam mortis faucibus, eripere. Significat *deinde* hac sententia, quòd si quando permittat Deus vt moriantur sui, id non fiat temerè aut fortuitò, sed certo Dei consilio. Pilatus in hunc modum alloquutus est Christum, quasi verò Deus nullum de eius vita aut morte consilium cepisset. *Non nosti*, inquit, *me potestatem habere crucifigendi te, vel etiam absoluendi?* Respondit ei Christus, *Non haberes in me potestatem vllam, nisi*

nisi supernè tibi fuisset datum. Hęc ille. *Tertiò* significatur hac sententia, ipsam crucem ac mortem piorum, vtcunque vilescat in oculis hominum, esse tamen eam in oculis Dei pretiosam.

Postremò, admonet hæc sententia, quòd posteaquam iam mortui sunt pij, & permissione Dei simul & iniuria impiorum è medio sublati sunt, Deus non sinat eorum mortẽ è memoria sibi excidere vllo vnquã tempore. Nam quum illud verissimum sit, quòd omnes suorũ lachrymas in vtre quasi reconditas, atque in numerato habeat, quantò magis totum piorum sanguinem & singulas etiam apud se guttulas eius reseruatas habebit? Imò verò priusquam vel vna gutta sanguinis piorum pereat, iubebit terram ipsam, quæ os suum aperiens ipsum quo tempore effusus est, suscepit atque imbibit, iubebit, inquam, terrã ipsam eam reseruare in aluo quasi sua, in diem illum visitationis Domini, quo vlciscetur in eos omnes quotquot in hac vita pios sunt persequuti. *Deus suorum post mortem præcipuè meminit.*

Quatuor igitur modis istis, vt summâ dicam, pretiosa est in oculis Dei mors piorũ. Primùm quòd non sinat suos sæpè perire, sed eos è maximis periculis liberet. Deinde, quòd si permittat vt moriantur, non temerè & sine grauissima causa id fiat. Ter- *Mors piorum pretiosa in oculis Domini.*

tiò, quòd ipſa mors piorum, vtvt vilis ſit in oculis mundi, tamen in oculis Dei pretioſa ſit. Quartò quod mortis piorum perpetuò recens ſit memoria. Ex his quatuor modis maximè intelligendus eſt primus ille hoc in loco, Nempe quod ideò pretioſa ſit in oculis Dei mors ſuorum, quos ſuos non patitur ſæpenumerò nõ mori, ſed ipſos è maximis periculis eripiat. Sed quorũ *eſt mors pretioſa in oculis Iehouæ*? Nempe eorum, inquit, quos benignitate proſequitur. Ergo amor ac benignitas Dei cauſa eſt, cur in pretio ſit mors ſuorum, & quos ipſe diligit eos in vita conſeruat, neque temerè vnquam mori eos patitur.

Patientia diuina conſideratio.

Miretur aliquis ſtatim prima facie, cur Deus non modò permiſerit, ſed etiam iuſſerit perdi tot ſæpe Gentes, nullo delectu habito virorum, mulierum, infantium, id quod de populo qui fuit in terra Chanaan legimus in libro Ioſuæ. Indaganti mihi paulò altiùs huius tãtæ ſeueritatis cauſam, hæc occurrit in primis, quòd Deus eas Gẽtes non ſit benignitate proſequutus: verũ è contra oderit eas, quo fit vt mors eorum non ſit pretioſa in oculis Dei. Quòd ſi itaque mors pretioſa vel non pretioſa pẽdeat ex amore vel odio Dei, quàm ſunt beati illi quos diligit Dominus tã in vita, quàm in morte.

Obſecro

Obſecro Iehoua. Cõfirmat experientia ſua Dei prouidentiam erga ſuos: q.d. *An non obſecro te, Iehoua, ſoluiſti vincula mea?* de ſe enim loquitur, ac ſi manibus pedibúſque vinctus ad ſupplicium tractus fuiſſet. Innuit enim adductum ſe fuiſſe in extremũ vitæ ſuæ diſcrimen, cùm à Iehoua liberatus eſt. Cauſam liberationis addit, quòd ſit ſeruus Iehouæ, atque ideò ſeruus, quòd filius ſit ancillæ: ancillæ enim filij ex lege Dei pariter ſerui ſunt. Dum dicit ſe ancillæ filium, ſignificat ſe non extraneum aliquem & peregrè venientem ſeruum, ſed ex domeſticis Dei aliquem. Significat igitur nunc ſe non hominem aliquem, nouum & inquilinum ſeruum in domo Dei, verùm ius aliquod habere ſe in domo Dei, vel ex parentibus ſuis, qui ante ipſum comprehenſi erant Dei fœdere. Neque enim illud vulgare aliquod Dei beneficium eſt, quò naſcamur nos ex Dei quaſi domeſticis & confœderatis.

Experientia diſcernit beneficia à Deo accepta.

Liberationis cauſa.

Verùm, non obſcurè ſe prodit affectus animi Dauidis in hac quaſi verborum gradatione. Indicãt enim verba affectum animi magis magíſque ad Deum appropinquaſſe. Primùm enim ait, *ſum ſeruus tuus.* Hic primus gradus eſt verborum, & prima animi ad Deum appropinquatio. Deinde ad ipſum repetit, dicítque, *ſum ſeruus tuus:*

Apertus animi Dauidis affectus.

hic secundus est verborum gradus, & secunda animi ad Deum appropinquatio. Tū tertio loco dicit, *filius sum ancillæ tuæ.* Hic tertius verborum gradus est, & summus index summæ & tertiæ appropinquationis ad Deum. Nam dum hoc postremò dicit, planè se cum Deo coniungit, cum eóque cohæret, ideóque beatus euadit. Nam in illa Dei *κοινωνίᾳ* posita est beatitas nostra.

Prouidentia diuina sensus quid efficiat. Vides igitur hoc in loco illud, primùm, vnde sit quòd tanta cū animi fiducia prædicet Dei illam erga suos prouidentiam, nimirum ex sua ipsius experientia, & speciali erga ipsum Dei prouidentia: neque enim potest quis prouidentiam & misericordiam Dei erga Ecclesiam suam commendare in genere, nisi ipse in specie eam sit expertus: profectò frigidè fuisset illud dictum à Paulo, nimirum venisse in mundum Christum, *Vt peccatores seruaret,* nisi hîc ipse prior expertus fuisset & peccati miseriam, & Dei misericordiam: ideóque subiecit hæc verba, *Quorum primus sum ego,* vt cōcluderet, apud conscientiam suā, se à Christo seruatum esse. *Erroris putidissimi refutatio.* Generalis itaque illa fides Papistarum inepta est, ad prędicandam Dei erga Ecclesiam suam prouidentiam, & gratiam. Neque enim ego vnquam Papistam aliquem concionatorē

aut

aut præconem beneficiorum Dei erga Ecclesiam suam idoneum existimaui, qui nihil potest ex suo ipsius sensu vel experientia depromere, qui non potest illud dicere, de quo suprà hoc psalmo, *Credidi, atque ideo loquutus sum.*

Obserua *secundò*, Sunt quos multum torquet & cruciat mortis genus hoc vel illud, vt violentæ, vt fœdæ, vt subitæ, vt exquisitæ & crudelis: de quibus quidem mortis generibus, non priùs cogitant, quàm horrent. At præpostera est cura ista ac sollicitudo quæ est de mortis genere: quin illud potiùs primum omnium nobis esse curæ debet, vt sentiamus nos à Deo diligi. Quòd si enim fundati fuerimus ac radicati in illa Dei charitate, pretiosa futura est mors nostra qualiscunque in oculis Dei, & in morte ipsa plus quàm victores erimus: Rom. 88.37. *Mentis nostræ sanitas.*

Obserua *tertiò*, Dauid proculdubio peruenit ad absconditam illam, quæ in corde Dei fuit, dilectionem ipsius, eiúsque sensum aliquem assequutus est ex effecto singularis ac insignis alicuius liberationis, didicítque dilectum se esse à Iehoua, ex eo quòd mors ipsius pretiosa fuerit in oculis Iehouæ. Vnica est illa consolatio nostra & in vita & in morte, quòd non sumus nostri, sed fidelissimi Domini nostri Iesu *De certa & dulcissima piorum viuentium & morientium consolatione.*

Christi, atque quòd Domini sumus, quodque ipsi curę sumus. hinc didicerunt imprimis veteres illi pij viri, quòd Deũ præsentẽ sibi in extremis quibusque periculis reipsa deprehenderunt. Inter cæteros numerandus est Dauid, qui vt obiectus fuit periculis plurimis, ita plurimas sensit liberationes & ex experientia liberationum persuasit sibi se Deo curæ fuisse: atque hoc ipso in loco quo dixit pretiosam in oculis Iehouæ esse mortem intentatam piis, innuit haud dubiè hoc esse documentum diuini erga nos fauoris & curę, quòd pretiosa sit mors nostra in oculis ipsius.

Exemplum, Dauid.

Obserua *postremò*, Quo demum tempore gloriatur Dauid in eo quòd sit filius ancillæ Dei, hoc est natus ex ea matre, quæ cum Deo confœderata fuerit, nimirũ tum cùm agnoscit simul se seruum Dei esse. Prodest quidem nasci ex Sanctis, & iis qui in Dei fœdere sunt parentibus: dum ipse in illo cum Deo fœdere persistis, Deique seruus es: ita enim ad te pertinet promissio illa tam prolixæ misericordiæ, quæ facta est in mandato secundo, *Miserebor*, inquit, *millenorum ex iis qui me diligunt & custodiunt mandata mea.* At si te, ipse, & parentibus tuis, & illo Dei fœdere indignum præstiteris, nihil tibi prodest, quòd natus sis ex sanctis & confœderatis cum Deo

Generationis & regenerationis nostræ consideratio qualis esse debeat.

Deo parentibus: Nihil prodeſt tibi, quòd poſſis genus tuum referre perpetua quadã ſerie ad ipſum vſque Abrahamum, quorum primum fœdus Dei eſt ictum.

Tibi ſacrificabo. Repetit promiſſionem illam gratiarum actionis, quæ ſuprà poſita eſt verſ.13.de qua,quia ſatis multa ibi dicta ſunt, ideo in ea explicanda erimus breuiores. Tantùm enim hoc addemus, ad ea quæ diximus,quòd , vbi ſemel excuſſus eſt torpor ille animi noſtri, & vbi ſemel incepimus Deum laudare , illíque gratias agere, tum ita abripimur Dei illo Spiritu , vt laudandi Deum finem vix faciamus.Non niſi ægrè admodum excitamur ad Deum laudandum,ſemel autem excitati,eam ex precibus voluptatem capimus ad tempus , & eâ lætitiâ feruet nobis cor , vt in laudes Dei noſtri totum ipſum quodammodo effundatur. Quamobrem , vt Deum laudemus , excutiendus eſt perpetuò torpor iſte animi noſtri, conandúmque vt nullo vnquam tempore,quoad fieri poteſt, cor hoc noſtrum planè expers ſit ſenſus, vel miſeriæ noſtræ, vel miſericordiæ Dei in Chriſto Ieſu:Ex hoc enim ſenſu gemino,duplex exiſtit animi affectus , nempe triſtitiæ pariter & lætitiæ , ex triſtitia præſertim exiſtunt petitiones, ex lætitia verò gratiarum actiones quæ fiunt in Chriſto Ieſu, cui

Grata pij voti repetitio.

Concluſio hortatoria.

cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis gloria, Amen.



PSALMVS CXXX.

Argumentum.

Canticum est didascalicum, à Propheta aliquo conscriptum. Constat tribus partibus. *Primùm*, occurrit commemoratio precum quas conceperat aliquando, cùm in maximo periculo esset, ad ver. vsque 5. *Deinde*, transitione facta profitetur, adhuc se expectationem in verbo Iehouæ habere, ab eóque pendere, ad vers. vsque 7. *Tertiò*, eandem expectationem commendat Israeli, hoc est Ecclesiæ toti, ad finem Psalmi.

1 *Canticum excellentissimum. Ex profunditatibus inclamaui te, Iehoua, dicens:*

2 *Domine, ausculta voci meæ: sint aures tuæ intentæ ad vocem deprecationum mearum.*

3 *Si iniquitates obseruaueris, Iah, Domine, quis possit consistere?*

4 *Sed apud te est condonatio, vt reuerenter colaris.*

Prima pars Psalmi commemorãs preces in grauissimis periculis conceptas.



X profũditatibus. Prima pars Psalmi. Profunditates hîc sunt profundissima & immania pericula. Sic enim vocantur. Metaphora ab aquis sumpta, in quibus homines pene submerguntur. Vide Psal. 69. 2. & 3. Illud

3. Illud extra cótrouersiā est, quòd dū quis in profundissimis periculis hæret, tum ex profundissimo & imo corde preces fundat, imò strenuè inclamet Dominum. Sic enim Propheta hîc de se loquitur, *ex profunditatibus, inclamaui ad te, Iehoua.* Vides igitur quo tēpore pij grauissimè affligūtur ac premuntur manu Dei, eodem tempore solere eos seriò cum Deo suo agere, & ad eum maximè se recipere cum precibus ac supplicationibus. Nam, vt constet huius propositionis veritas, afflictiones primùm efficiunt in cordibus nostris sensum aliquem peccati ac miseriæ nostræ. Nisi enim Deus suos, quibus ipse nouit modis, exerceret, profectò ad sensum cōmunis huius miseriæ naturæ suę nunquam peruenirent. Deinde, vbi cor sęmel præparatum est sensu aliquo miseriæ suæ, tum Spiritus Dei, quem adoptionis vocant, ipsum afficit sensu aliquo misericordiæ Dei, & vt cum Apostolo loquar, *Effunditur charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis,* idque per Christum Iesum ipsiúsq; mortē. Nam profectò nō nisi præparatis primùm cordibus nostris sensu aliquo miseriæ, afficit ea S. Sanctus sensu aliquo misericordiæ Dei in Christo Iesu. Postquā autem S. Sanctus effudit in cordibus nostris charitatem illam Dei, tum nos cōcipimus animis fidu-

Afflictiones piis vtiles.

Rom. 5.

ciam eam,qua ipsum accedimus atq; inuo camus. Nam Spiritus hic est quē appellat Apostolus adoptionis Spiritum,per quem clamamus, Abba, Pater. Clamamus, inquit,quia Spiritus adoptionis ex sēsu amoris eā fiduciā efficit in cordibus,vt dilatato corde primū, deinde ore Deū patrē, libera voce & alta inclamemus. Ergo vbi primùm Spiritibus imbuit animas nostras sēsu charitatis Dei,liberè Deū adimus eumque precamur: nisi enim priùs sit sensus aliquis amoris Dei,nulla profectò est inuocatio nominis ipsius.

Rom. 8. 15.

Afflictionum Ecclesiæ vtilitas. Vides igitur id quod ab initio diximus verum esse. Nempe quò grauiùs affligūtur pij, eò ardentiores esse preces eorū. Nos, quia nōdum demersi sumus in has profunditates,ac proinde nondum affecti sumus eo, quo iampridem esse debuimus sensu, vel miserię nostrę,vel misericordię diuinę: ideò Deum, vt oportet, non inuocamus, neque inclamamus.Præstaret quidem cum precibus affligi, quàm sine precibus prosperè agere.

Precum piarū formula. *Dicens, Domine.* Hactenus proposuit se in periculo Deum inuocasse,nunc subiicit precum illam formulam, qua tum vsus est in Deo inuocando, *Audi*,inquit, *Domine, vocem meam*: Tum eandem petitionem ingeminauit, *Sint aures tuæ attentæ, &c.* Ingeminatio

minatio hæc, & petitionis eiusdem duplicatio, ex vehementi & duplici quasi affectu animi, ac gratia Spiritus Sácti, profecta est. Nisi enim gratia Spiritus, dilatetur affectus, profectò, os dilatari non potest. Nam Spiritus est per qué clamamus, ore quasi dilatato. Quoties enim iteramꝰ clamoré, toties iteratur commotio Spiritus in corde. Primus clamor, ex prima Spiritus commotione existit. Secúdus, ex secunda. Tertius ex tertia, & ita deinceps. Nã nemo potest dicere Iesum Dominũ nisi per Spiritũ sanctum, 1. Cor. 12. & quid precemur, vt oportet, non nouimus. Spiritus enim est, qui interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus, Rõ. 8. Hæc ideò dico, vt sciat animalis homo, non esse penes se vel verbum vnum bonum proferre, nisi priùs ex animali fiat spiritualis.

Sed quid est, quòd Deum tam seriò inclamet ad hoc, vt aurem suam precibus ipsius accõmodet? An putauit Deum surdum agere? Qui premuntur Dei manu, putant Deũ à se adeò alienatum, vt neque videat, neque audiat ipsos, neque omnino recordetur ipsorum. Hinc sunt illæ voces tam flebiles, audi Domine, vide Domine, recordare Domine: quæ passim in Psalmis occurrunt. Sed, an qui Deum ex animo inuocant eiúsque præsentiam requirunt? An illi interea omnino Dei præsentia de-

Sensus piorum in afflictionib. qualis.

ſtituuntur? An, quæſo, niſi præſentiam certè aliquam Dei, per Spiritum ipſius Sanctum haberent, poſſent Dei præſentiam requirere? An ſine Deo poſſemus velle Deum? Quid igitur requirimus, quod iam habemus? Id ideò facimus vt Deum magis poſſideamus, Id.n. efficiũt preces, vt Deus propiùs ad nos accedat & incrementũ ſit miſericordię & gratię: fieri enim nõ poteſt vt ſuſpiria illa, non tã noſtra quàm Spiritus Sancti in cordibus noſtris, & clamores eiuſdem Spiritus in ore noſtro, in nihilum abeãt. Nouit enim Deus quis ſit sẽſus Spiritus ſui & beati ſunt qui eſuriunt & ſitiũt iuſtitiã: nã ipſi ſaturabũtur. & nos ipſi in nobis id experimur, nõ citius nos ſuſpirare ad Deũ quã animus gaudio quodã ineffabili perfundatur: vt illud verè ſentiamus præſentiam Dei per Spiritum triſtitiæ & ſuſpiriorum inenarrabilium, efficere præſentiam Dei per Spiritũ lętitię ac gaudij ineffabilis

Cur Deũ quẽ poſſident pij tam ardẽter expetunt.

Si iniquitates. Occupatio eſt: Nam vel à Deo vel ab ipſius conſcientia hoc obiici potuit: Peccator es, ergo quomodo te audiã? quî non te potiùs in ira mea abſumã? Reſpondet primùm conceſſione, *Si iniquitates obſeruaueris*, ô *Deus*, illud concedo equidem, neminem mortalium poſſe conſiſtere in conſpectu tuo, quinimò neceſſe eſt eum conſumi ab ira tua. Deinde reſpõdet

Occupatio, & miſeriæ confeſſio.

det correctione, *Sed condonatio est apud te.* q. d. Tu non obseruas nostras iniquitates ex iustitia tua, verùm ex misericordia infinita eas omnes condonas in filio tuo Iesu Christo. Nam ne patres quidem & prophetæ illi veteres senserunt vnquam remissa sibi peccata ex Dei misericordia, nisi per Christum illum promissum, quem eminus quasi intuiti sunt, & in quo solo ab origine mundi pacata fuit ira Dei, adhoc vt locus aliquis misericordiæ ipsius relinqueretur. Nisi enim satisfiat primùm iustitiæ, profectò nullus est misericordiæ diuinæ locus. Nostra autem conditio, eò beatior est illa patrum conditione, quòd nobis præsens sit & ante oculos illud Christi sacrificium, quod illi eminus intuiti sunt; & nos iam disertis verbis Deum per Christum misericordem esse & remittere nobis omnia peccata nostra, possumus dicere, quod illi nequaquam potuerunt.

Misericordia in Christo, fiducia.

Christianorum felix conditio.

Discimus hoc loco & hoc, Prophetæ exemplo, conscientiam peccati, quam conscientiæ malum vocamus, impedimento esse quò minùs Deum liberè precemur: imò verò id experimur, conscientiam malam nisi ipsa purgetur, planè præcludere nobis omnem àd Deum aditum. Id e-

Mala conscientia malum.

Hebr.10. 22. nim eſt quod dicit Apoſtolus, Accedamus cum cordibus purgatis à conſcientia mala. Quamobrem nullus patet ad Deum acceſſus, niſi purgentur priùs corda à conſcientia mala. Quod autem de conſcientia peccati loquimur, id de peccato ipſo affirmamus, quod niſi totum planè ſubmoueatur è conſpectu Dei, profectò ne aſpectu quidem ſuo nos dignatur Deus: atque id eſt quod hoc loco dicitur, *Si iniquitates obſeruaueris, Iah, quis poteſt cōſiſtere?* Vt verbo quæ diximus comprehendamus: Conſcientia peccati eſt, quæ prohibet nos ne Deum noſtrum inſpiciamus, peccatum verò eſt, quod prohibet Deum ne nos miſeros inſpiciat atque intueatur.

Conſcientiæ peccati effectus.

Remedium autē huius mali diſcimus, ex ſecunda parte reſponſionis, in qua dicit, *Sed apud te eſt condonatio:* Quamobrem remedium hoc eſt vnicum, vt cōfugiamus ad miſericordiam Dei, ídque cum ſimplici & candida confeſſione peccati noſtri. Nullus enim vnquam adhuc cōparuit coram Deo, niſi tanquam reus quidam, cum confeſſione peccati ſui, miſericordiam Dei implorans. Verùm in hoc, tota difficultas eſt, vt ad thronum illum gratiæ perueniamus. Nam cùm non niſi per mediam quaſi iuſtitiam, tāquam murum quendam igneū ac flammantem, ad miſericordiam Dei & thronum

Remediū aduerſus conſcientiam peccati.

Remedij illius vera applicatio.

thronum illud gratiæ penetrandū ſit, profectò neceſſe eſt, qui velit ad thronum illū gratiæ accedere propiùs, veniat armatus atque inſtructus, aduerſus iram ac iuſtitiā Dei, quæ non patitur quidquam, quod in ſe vel tantillum habet immunditiei ad inuiolabilem illam Maieſtatem propiùs accedere. Inſtrui autem non poſſumus aduerſus feruorem illum ignis, vlla re alia, quàm ſola Iuſtitia & ſatisfactione Ieſu Chriſti. Quare qui velit ad thronum gratiæ accedere, & per mediam illam Dei iuſtitiam atque iram perrumpere, neceſſe eſt vt is in Chriſto Ieſu inueniatur, & per ſanguinem illum, oblatum per æternum Spiritum purgetur, à mortuis ſuis operibus: Heb. 9. Poſteaquam autem per fidem Chriſti, ventum eſt ad thronum illum gratiæ, tum auditur vox illa condonationis ac iuſtificationis, longè ſuauiſſima.

Vt reuerenter. Hic finis eſt miſericordiæ & condonationis Dei, ipſius cultus & reuerentia. Nemo enim vnquam reuerenter Deum coluit, niſi cui, ex miſericordia Dei peccata ſua remiſſa ſunt, hoc eſt, niſi qui ſenſit beneficium illud remiſſionis peccatorum ſuorum. Nemo enim Deum glorificat, niſi ipſe prior à Deo glorificatus ſit, nemo autem glorificatur niſi qui iam iuſtificatus eſt. Quare, condonationis ſiue re- *Finis miſericordiæ & condonationis Dei.*

missionis peccati, primum effectum est sanctificatio, siue glorificatio nostri. Nos autem cùm iam glorificati sumus, Deum nostrum glorificamus, nõ quòd ipse egeat glorificatione vlla, quæ à nobis sit; cùm ipsius gloria in se perfecta sit: sed quòd id postulet officiũ nostrũ idque nostro ipsorũ bono. In eo enim posita est felicitas nostra, nõ vt ipsi glorificemur, sed vt Deũ potiùs nostrum in æternũ glorificemus: ad id enim conditi atque redempti sumus.

5 *Expectaui Iehouã, expectauit anima mea: etiam in verbo eius expectationem habeo.*

6 *Animus meus erga dominum studiosior est, quàm excubiarum erga matutinum, excubantium ad matutinum vsque.*

Psalmi secunda pars, spem serui Dei exprimẽs. *Expectaui Iehouam.* Secunda pars Psalmi: in qua per cõparationẽ facti sui, & expectationis suæ præteritæ, proponit atque profitetur sese etiamnum expectationem habere in verbo Dei, quia nimirum ex patiẽti expectatione habuit experiẽtiam misericordiæ & liberationis diuinæ. Nam patientia efficit experientiam: experientia spem maioris liberationis atque misericordiæ, quam vnquam hactenus experti sumus. Experientia enim temporariæ liberationis efficit spem liberationis sempiternæ, neq; spes illa vnquã nos pudefaciet. Maiora enim omnia consequemur in altera vita,

ra vita, quàm ſperare potuimus in vita prę- ſenti. vide de his Rom. 5. Sed verba expendamus diligentiùs. *Expectaui*, inquit, *Iehouam*. Tum addit, *Expectauit anima mea*, q. d. non oculo tantùm, ſed penitus animo expectaui Iehouam desiderium enim animi eſt, quòd prę ſentem nobis efficit Deum. de expectatione autem piorum vide Paulum Rom. 8. *Nos*, inquit, *qui primitias Spiritus habemus, ſuſpiramus, expectantes adoptionem noſtram.* Vides expectationem piorum eſſe cum ſuſpiriis quę cordis ſunt. poſtea autem eodem capite, docet quid proficiamus apud Deum ſuſpiriis his inenarrabilibus. *Nouit*, inquit, *Deus, quis ſit ſenſus Spiritus ſui*, hoc eſt ſuſpiria illa quæ procedunt ex corde noſtro, ſtatim afficiunt Dei animum, quia Spiritus ipſius Dei eſt is qui excitat ea in cordibus noſtris. Poſſumus quidē affici deſiderio hominis alicuius abſentis, cùm tamen ille interea nihil moueatur noſtro illo deſiderio, neq; ad animum eius perueniant noſtra ſuſpiria: ſpiritu enim ipſius nō ſuſpiramus, verùm noſtro ipſorum ſpiritu. At verò nō prius ſuſpiramus ad Deū, quàm ille ſuſpiriis noſtris moueatur. Sunt enim ea ab ipſius Spiritu profecta omnia. Quòd autem commoueatur noſtris ſuſpiriis illis monet nos ineffabile hoc gaudiū, quod ſemel ſentitur cum ſuſpiriis illis inenarrabi-

Pij deſiderij deſcriptio.

Suſpiria electorum Dei à S. Spiritu.

libus. Non enim aliunde esse potest ineffabile istud gaudium quàm ex Dei præsentia aliqua.

Spei certa fundamentum. *Etiam in Verbo.* Dicit in verbo Dei se expectationem habere, quia quantisper per fidem incedimus, nō autem per aspectum, pendemus ex verbo Dei, & eum tanquam in speculo verbi intuemur, non autem facie ad faciem coràm videmus. *Animus meus.* Expectationem suam illustrat minori comparatione eorum qui excubias agunt, & eas quidem perpetuas: quibus nemo succedit, sed quibus per totam noctem ipsis vigilandum est. Hîc disce quanto cum studio expectent Dominum, ab eóque pendeant, qui semel gustarunt quàm benignus sit Dominus: Non enim tam necessitate aliqua ad id coguntur, quàm suauitate nescio qua alliciuntur. Nota hoc loco, quę sit in hac vita piorum conditio, in excubiis sunt perpetuò, expectantes aduentum domini. Mundus enim his præsens, iis perpetua nox est, si comparetur cum mundo illo futuro, in secundo Christi aduentu, & cum illo mane quod vocantur Psal. 49. 15. in quo nimirum Sol ille iustitiæ Christus orietur Malach. 3. 20. Est autem, fateor, mundus quidem hic dies lucidus, si comparetur, cum eo, qui Christi primum aduentum antecessit. Vnde Rom. 13. 12. Nox inquit processit

Demonstratio à simili.

Piorum in terris conditio.

Noctis, diei, lucis & caliginis spiritualis consideratio.

processit, dies autem appropinquat, & 1. Thessal.5.5. Dicimur omnes filij lucis esse ac filij Dei: At si mundus hic præsens comparetur cum sæculo futuro, & incomprehensibili illa luce quæ tum conspicietur, certè non immeritò. Noctis potiùs quàm diei nomen sortietur. Non autem magis incumbit vigili alicui, vt excubet perpetuò ad matutinum vsque tempus, quàm vnicuique nostrûm, vt totam hanc noctem in vigiliis traducamus. Vnde illud Christi ad discipulos Math. 24.42. *Vigilate, nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit.* Vt autem qui noctu vigilant, & excubias agunt, fatigantur & tædio afficiuntur, atque ideò nihil magis expetunt, quàm tempus matutinum, in quo sese somno recreêt: Ita vigilantes ad tempus illud matutinum, quo veniet Christus, fatigamur, & opprimimur onere peccati nostri, ac miseriæ, ita vt, vitæ huius sæpenumero nos tædeat, atque hinc est desiderium illud vehemens temporis illius matutini, quo Christus vẽturus est: Qui vbi venerit, tum quidem fruemur æterna illa requie, & vt loquitur Psal.23.6. Quieti erimus in domo Iehouæ, quamdiu longa erunt tempora. loquor de iis qui in hac vita vigilarunt. Nam, qui in hac vita non nisi dormierunt, illi in altera illa sempiternis vigiliis & tormentis exer-

cebuntur.

7 *Expectationem habeat Israel in Iehoua: quia apud Iehouam est benignitas, & plurimum apud eum Redemptionis.*

8 *Et ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus eius.*

Psalmi tertia pars Ecclesiæ spem illã certam commendans.

Expectationem habeat. Tertia pars cantici, qua Israeli, hoc est, Ecclesiæ toti, eandẽ quam ipse habet expectationem commendat. Nam qui expectando Deum semel ipse expertus est illam Dei misericordiam, non solùm ipse expectat Deum in posterum, verùm vult omnes pariter expectare Iehouam, vt omnes pariter eandem experiantur misericordiam. vult enim omnes, si id possit fieri, gustare illam quam ipse gustauit Domini benignitatem. Maximè autem id conuenit Israeli, hoc est, Ecclesiæ Dei. At illud, quod tanquam postremum finem intuetur Propheta, est Dei ipsius gloria: vult enim fidelis quis multos consequi misericordiam, ad hoc, vt Deum multi glorificent, & studiosus est salutis hominum, vt Deo constet misericordiæ suæ gloria. Nam Deus, quo plures in ipso spem suam collocăt, eò magis glorificatur.

Argumentum à natura Dei petitum, vt spem illã confirmet.

Quia apud Iehouam. Monet Israelem ad expectandum Iehouam, à benigna ipsius natura. Non demonstrat Israeli vel potentem, vel iustum, vel sapientem Deum, sed mise-

misericordem ac benignum. Quid ita? Annon reliquæ in Deo proprietates, vt omnipotentia, vt iustitia, vt sapientia, vt veritas, &c. Annon inquam hæ conciliant ipsi animos & fidem hominum? Concedo omnia hæc, suo quidem loco conciliare fidem hominum: verùm, cùm miseris & peccatoribus imprimis opus sit misericordia, profectò misericordia Dei est, quam imprimis requirũt homines, primúmque obiectũ est fidei. Vbi autem fides apprehendit Dei in Christo misericordiã, tum alia, quę in Deo sunt, ipsam ad sese alliciunt. At sine misericordię Iésu alia omnia in Deo nobis terrori sunt potiùs quàm cõsolationi. Ergo fides primũ ac propriè fertur in Deũ, qua misericors est, & quãtò magis inquirimus in Dei misericordiã illã infinitã, tantò magis in eũ credimus. Incremẽtũ enim fidei quid quæso aliud est quã incremẽtũ cognitionis misericordiæ diuinę. Quãobrẽ, vt crescat fides, opus est perpetuò misericordiã Dei in Christo indagemus, quod profectò faciemus sine vllo curiositatis periculo, cũ aliæ quæ in Deo sunt proprietates, curiosam indagationem ferre non queant. Paulus inter alia hoc optat Ephesis, vt in charitate radicati possint assequi, cum omnibus Sanctis, quæ sit illa latitudo, longitudo, altitudo & profunditas, & possint cognoscere

Misericordia Dei in Christo fidei nostræ obiectum.

charitatem illam Christi, quæ superat omnem intellectum.

Misericordia Dei cognitio maximè necessaria ad fidei confirmationem.

At nusquam legimus optasse eum, vt quisquam assequatur cognitione, infinitã illam Dei potentiam, sapientiam, &c. quia nimirum non tam è re nostra est, ista cognoscere, quàm illam Dei in Christo charitatem. Neque etiam Spiritus Sanctus, tã in eo laborat vt cognoscamus quæ in Deo sint alia, quàm vt cognoscamus, quãtopere nos diligit Deus in Christo filio suo. Ideò dicitur Rom. 5. effundere charitatem in cordibus nostris. Non legimus autem de Spiritu quòd effundat potentiam, sapientiam, &c. quæ in Deo simul in cordibus nostris. hoc est, quòd tam copioso eorum sensu animos nostros afficiat. Quamobrem, vt in Deum credamus, ac in ipso expectationem habeamus, maximè cognoscenda est nobis ipsius in Christo benignitas, atque misericordia, id quod propheta hoc loco non ignorauit, cùm, vt moueret Israelẽ ad sperandum in Deo, benignitatis ipsius potissimum mentionem fecit. *Et plurimum apud eum.* Eandem Dei benignitatem verbis amplificat: neque enim quisquam simul ac semel totam Dei misericordiam verbis aliquibus vnquam comprehendere potuit. Superest enim perpetuò aliquid præterea, quod de ea prædicetur, quæ est

Amplificatio professionis illius de misericordia Dei.

eius magnitudo incomprehensibilis:& qui eius partem aliquotam animo semel perceperunt,illi quidem ne eam partem,quãtulacunque est, verbis vnquam satis exprimere possunt. Sensus enim iste spiritualis in cordibus,siue gaudij sit,siue doloris,ineffabilis est:vnde suspiria inenarrabilia vocantur Rom. 8. & gaudium ineffabile 1. Pet.1. Quanto igitur magis non poterit vllis verbis exprimi tota simul ac semel Dei illa misericordia?cùm nõ sufficiãt verba vlla ad exprimẽdã vel illã quantulãcũq; eius apprehẽsionẽ,quę est in cordib.nostris.Nõ enim hyperbolica sunt verba illa quib. viri pij conati sunt exprimere Dei illã misericordiã,quasi verò verba sint ipsis reb. grãdiora,quod qui putãt,næ illi quidem mihi videntur Dei in Christo misericordiam nunquam animo apprehendisse.

Alterum argumentum à misericordia Dei ad Ecclesiam accommodata.

Et ipse redimet Israelem, hoc alterũ argumentum est, quo certò promittens Ecclesiæ redemptionem à peccatis suis,propiùs ipsis applicat illã quam prædicauit Dei benignitatem , & Redemptionem multiplicem. Neque enim ad fidem satis est,quòd quis in genere tantùm prædicet Dei misericordiam , nisi eam miseris certò promittat , hoc est , applicet. Nam promissiones sunt totidem misericordiæ diuinæ applicationes. Atque hinc est quòd Scripturæ

plenæ ſint promiſſionibus, ſine quibus non eſt illa πληροφορία & fiducia ſpritualis. Generalis etenim de miſericordia Dei doctrina, hoc præſtat nobis, non quidem tam vt reipſa credamus, quàm vt præparentur corda noſtra ad fidem. Notandum hoc, quòd dicit Deum redempturum Iſraëlem, non à perſequutionibus, non ab externis aliquibus malis, verùm à peccatis ipſius omnibus: neque enim redemptio Eccleſię tam cernitur in eo, quòd ipſa redimatur à malis huius mundi, quàm in eo vt redimatur à peccatis ſuis. Nam hoſtis omnium infenſiſſimus eſt peccatũ, & cauſa eſt omnium aliorum Eccleſiæ hoſtium. Omnes enim afflictiones, & à peccato ſũt, & ad peccati mortificationem tendunt. Certum eſt enim, quòd ſi nullum eſſet in Eccleſia peccatum, nulla eſſet Eccleſiæ perſequutio. Et pij quique magis ſuſpirant ſub onere peccati quàm ſub alio quocumque afflictionum pondere. Chriſtus etiam ipſe mortuus eſt pro nobis redimendis, non tam ab afflictionibus omnibus, quàm à peccato & morte illa æterna. Denique cùm illo die vindicati erimus in libertatē filiorum Dei, plenéque redempti, gloriabimur, non tam quòd redempti erimus ab omnibus aliis afflictionibus, quàm quod planè liberati erimus à peccato, vt apparet ex illo Pauli,

Vera Eccleſiæ redemptio.

li, *Vbi tua, ô mors, victoria? vbi tuus, ô se-* 1.Cor.15.
pulchrum, stimulus? Stimulus verò mortis 55.
est peccatum: Lex autem, virtus peccati.
Ecce gloriabimur in illo die, quòd liberati sumus à mortis stimulo, ídque per Christum Iesum Dominum nostrum: Cui sit omnis gloria, Amen.



PSALMVS CXXXVII.

ARGVMENTVM.

Canticum est generis mixti, didascalicum & εὐκτικὸν. A quo conscriptum sit non constat: verisimile est autem scriptum esse à Propheta aliquo, ídq; totius Iudaicæ Ecclesiæ iam captiuę nomine. Scriptum verò videtur quo tempore abduceretur populus in Babyloniam, cúmq; esset in ipso itinere, sicuti colligi potest ex primo versu. Constat autem duobus membris. *Primum*, est grauis Ecclesię querimonia ad vers. vsq; 7. *Alterum*, est grauis imprecatio, & Prophetica denunciatio aduersus hostes Ecclesiæ, ad finem vsque cantici.

1 *Ad flumina Babyloniæ, ibi sedentes, etiã atque etiam fleuimus: cùm recordaremur Tzijonis:*

2 *Ad salices in ea, suspendimus cytharas nostras:*

3 *Quamuis ibidem peterent à nobis cantiones lætas, qui captiuos abducebant nos, & qui contumulauerant nos, dicentes, Canite nobis de canticis Tzijonis.*

4 *Quomodo fuissemus cantaturi canti-*

cum Iehoua, in solo alienigenarum?
5 *Si obliuiscar vestri, ô Ieruschalaima, obliuiscatur sui dextera mea.*
6 *Adhæreat lingua mea palato meo, si non recorder tui, si non reuocem ad Ieruschalaima caput lætitiæ meæ.*

Prima pars psalmi, querimonia constans, & fletus causa, nempe exilium.



AD *flumina.* Prima pars cantici, Querimonia, in qua primùm est propositio querimoniæ, cùm dicit, *etiam atque etiam fleuimus*, hoc est, vehemẽter indoluimus. Nam Spiritus interpellat pro Ecclesia suspiriis inenarrabilibus, vt loquar cũ Apostolo, Rom. 8. & dici non potest quãto mœrore affici soleat Ecclesia cùm Dei manu humiliata est. Circũscribitur fletus hic & dolor Ecclesiæ, subiecto suo loco, quãdo dicit, *Ad flumina Babylonis*, id est, Monarchiæ Babylonicæ. Nam Iudæi nõ solùm in Babyloniam propriè dictam abducti sunt, sed dispersi in ditionem Babylonicam, vt ex Ezechiele, Daniele, & Esdra, constat euidentissimè.

Locus sedentis & flentis ecclesiæ.

Ergo locus est Monarchia Babylonica in genere, in specie verò ripæ fluminum: dicit enim, *ad flumina* Babyloniæ. *Ibi sedentes*, hoc est in ripis fluminum, donec traiecissent omnes. Locus istæ Babylonicæ Monarchiæ continet in se causam quandam fletus huius, quem proponit. Innuit enim locus exilium & abductionem

à nata-

à natali solo in terram peregrinam. Ergo populus tũc peregrè agens,& exulans, defleuit peccata sua, quæ domi deflenda erant. Verùm qui domi nolunt flere,ij coguntur peregre id facere. Nam peccata semel deflenda sunt necessariò, & dolendum est propter offensum Deũ, vel citius vel serius. Quòd si non domi doluerimus, certè peregrè dolendum nobis erit. Quòd si non in hac vita doluerimus, profectò in altera illa vita, vel morte potius dolendũ erit, vbi non audietur nisi fletus & stridor dentium. Beati sunt qui etiã serius, qui etiã in exilio, qui quouis demum tempore, qui in quouis loco dolent de peccatis suis seriò, modò dolorem suum non reiiciant in alterum sæculum, beati sunt. Nam qui etiam serius, vel quouis etiã tempore dolent atque resipiscunt in hac vita, in altera vita abstergentur ab oculis eorum omnes lachrymæ. Ac qui rident in hac vita, fletum autem reiiciunt, in altera nullus erit finis vel modus fletus eorum.

Hic locus piis omnibus est in præsenti vita.

Impiorũ locus.

Cũ recordaremur. Hæc altera fletus causa est. sed expressior nempe recordatio *Tzionis*, hoc est, Hierosolymorum, vbi erat visibilis ac aspectabilis Dei præsentia. Nã qui exulant à Deo, ij demum sentiunt quãtum boni sit vel in hac Dei præsentia, quæ est in visibili ipsius Ministerio, & quãtum

Altera fletus causa, Ecclesia dissipatio.

mali ſit in ipſius abſentia: Nos dum præſentem Deum habemus in miniſterio ſuo, eúmque intuemur quodammodo in ſpeculo illo Euangelij ſui, non agnoſcimus quàm vel ea ipſa de cauſa felices ſumus. At ſi iuſto Dei iudicio ſit futurum vnquá, vt auferatur ex oculis noſtris hoc ſpeculũ Euangelij, & Miniſterium hoc externum, tum quidem reipſa ſentiemus quanta miſeria ſit eo deſtitui. De iis præſertim loquor, qui aliquam aliquando ſoliti ſunt percipere voluptatem ex ſincera hac Verbi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione. Dauid in exilio conſtitutus, *Hæc recordans*, inquit, *effundo in me animam meam, me ſolitum eſſe tranſire in turba, gradiri cum illis ad domum Dei*, &c. Ecce Dauid exulans ab Eccleſia Dei viſibili, doluit ſupra modum. At quæ cauſa? nempe quia vnà cum Eccleſia ſolitus erat gradiri vſque ad domum Dei, cum voce cantus & laudationis: hoc eſt, quia ſolitus erat voluptatem non mediocrem percipere ex externo illo & viſibili Miniſterio. Itaque iam exul agens, recordatio illius voluptatis atque lætitiæ ſpiritualis mouit illi dolorem non mediocrem.

[Margin: Pſal. 42. 5.]

[Margin: *Confirmatio à teſtimonio & exemplo Dauidis.*]

Hîc admonendi ſumus, quòd iſte dolor, ex recordatione cæleſtis illius lætitiæ, non ſit dolor mũdi huius: verùm dolor ille qui

[Margin: *Dolor piorum, qualis ſit.*]

qui vocatur secundùm Deum, qui profe-
ctò plus habet lætitiæ admixtum, quàm est
vniuersa huius mūdi lætitia, etiam doloris
omnis expers. Nam pij quíque, dum dolēt,
sentiunt interea cum inenarrabilibus su-
spiriis, cōiunctum esse gaudiū ineffabile.

Ad salices, &c. Amplificatio quædam propositi fletus ac doloris. Fleuit Ecclesia & omnia instrumenta ac materiem omnē consolationis abiecit: qui enim seriò & ex animo dolent, iis omnis lætitia & lætitiæ materia solet esse dolori. Contrà verò omnis tristitia solet esse voluptati. *Sunt mihi lachrymæ pro cibo*, dicebat Dauid. At cuiusmodi erant Cantica illa, cuiusmodi instrumenta quæ abiecit, erant sancta, erant Domini Cantica, qui seriò & sanctè etiam dolent ne sanctos quidem cantus admittunt. Nam quo tempore nos deiicit Dominus, atque humiliat, eo tempore magis nos decet fletus, quàm cantus, dolor, quā lætitia. Affligitur aliquis inter vos? oret. æquo animo est? psallat. Omnia enim tempus habēt: tēpus est flēdi, tēpus est canēdi.

Fletus piorum amplificatio.

Psa. 42. 4.

Iacob. 5. 13.

Quamuis ibidem. Amplificatio est proximi facti, nempe abiectionis instrumentorum, & materiæ omnis lætitiæ, à contrario imperio & mandato Babyloniorum, qui cùm populum Dei captiuum abducebant, abducentes requirebant à populo

Amplificatio facti & lætitiæ repudiatæ αἰτιολογία.

Deus lætitiæ author. cationes lætas: sed ne horum quidem authoritate ac imperio adducta est Ecclesia ad canendum. Humiliatus enim Dei manu animus, nulla hominum authoritate erigi potest, neque prece neque precio adduci, vt lætetur. Solus Deus est qui vt humiliat, ita potest erigere animum humiliatum.

Psal. 40. 4. Indidit Canticum nouum ori meo. Nota deinde, quòd addit, *qui captiuos nos abducebant*, quasi dicat: Ij ipsi qui nobis causa erant tristitiæ, requirebát vt nos ipsis ministraremus lætitiam. Innuit auté hîc aliquid absurdi, neque enim exhilarandi sunt Dei & Ecclesiæ hostes: ita enim placebunt sibi in sua malitia. Vides hîc rursus Babylonios ne attingi quidem vllo sensu præsentis doloris Ecclesiæ. Nesciunt impij vel quis sit dolor, vel quæ sit lætitia piorum. Ipsi euanescunt in cogitationibus suis, neque penitus animo percipiunt vel dolorem, vel gaudium verum ac genuinum: cor enim eorum non stabilitur gratia.

Impij piis flentibus & gaudentibus insultant.

Hebr. 13. 9.

Quomodo fuissemus. Causas affert Ecclesia, cur ne authoritate quidé Babyloniorũ adducta sit ipsa ad canendum, vt scias non satis esse, si ex affectu aliquo obstinato & animo obfirmato resistamus superiori potestati: (potestas n. Babyloniorũ tũ fuit in populũ ex Dei ipsius volũtate atq; ordinatione) nisi subsint causæ iustissimæ ac grauissimæ.

Impio mãdato pij nõ obtemperant.

uissimæ. Est autem prima ratio à profanatione sanctorum cantuum, quæ intelligitur his verbis, *Cantica Iehouæ*, hoc est DEO sacra: deinde, *In solo alienigenarum*, hoc est, in terra profana, inter profanos. *Cantica* enim *Iehouæ*, hoc est, DEO sacra, canere in terra alienigenarum, ad libidinem profanorum hominum, quid aliud fuit quàm profanare res DEO sacras? nam exponere res quascumque sacras, siue Verbum DEI, siue Sacramenta, siue aliquid eius generis, libidini impurorum hominũ, qui non quærunt in iis vel ædificationem aliquam sui, vel DEI gloriam, sed impuram oblectationem, quid quęso aliud est, quàm margaritas porcis obiicere?

Si obliuiscar. Altera ratio ab obliuione Hierosolymorum & Ecclesiæ DEI, in hanc formam struitur: Si nunc canerem, inquit pius cœtus, hoc esset obliuisci Hierosolymorum & Ecclesiæ DEI. At non obliscar Hierosolymorum. Ergo non canam. Nota igitur, quid sit canere vel lætari interea dum Ecclesia DEI affligitur aliquo modo. Nihil profectò aliud est quàm obliuisci Ecclesiæ. Contrà verò dolere cũ Ecclesia dolente, quid aliud est quàm recordari Ecclesiæ? Testamur enim nos rationem habere Ecclesiæ DEI eámque nobis curæ esse ex hoc communi affectu, & hac συμπαθία qua

Altera ratio, Ecclesia amor cum quadam reuerentia coniunctus.

Obliuisci & recordari Ecclesia, quid.

Rom.12. 15. sit nimirum vt lætemur cum Ecclesia lætãte, doleamus cum ea dolente. Assumptio huius syllogismi non nudè est proposita, sed cum execratione qua imprecatur sibi malum, dextræ nimirum suæ impotétiam, si ea cytharam percusserit, linguæ suæ immobilitatem, si cecinerit. Nimirũ hoc facit, quia certò expectabat malum aliquod, & insigne Dei iudicium, si futurũ esset vt obliuisceretur Dei & Ecclesiæ ipsius. Nam execrationes istæ & obtestationes piorum argumento sunt, manere eos, qui obliuiscuntur Ecclesiæ Dei, & qui tum ridẽt, cùm Ecclesia lachrymatur, manere, inquam, eos graue iudicium Dei. *Si non reuocem.* Hæc amplificatio est præcedentium verborum: q.d. Non tantùm recordabor, sed præponam atque anteferam Ecclesiam Dei capiti lætitiæ meæ, hoc est, lætitiæ meæ vel maximæ. Non enim satis est recordari Ecclesiæ, sed oportet eam omnibus rebus aliis anteponere.

Quicunque ridet Ecclesia flente, tãdem flebit, Ecclesia verò lætabitur.

7 *Recordare, Iehoua, contra Edumæos diei Ieruschalaimarum: qui dicebant, nudate, nudate, quantisper fundamentum eius erit in ea.*

8 *Gens Babylonica vastanda, beatus sit, qui rependet tibi maleficium tuũ quo affecisti nos!*

9 *Beatus, qui prehendet, & dissipabit paruulos tuos, allidens ad petram!*

Recor-

Recordate. Altera pars Pſalmi, ſeu imprecatio aduerſus Edumæos, & denuntiatiò Prophetica in Babylonios. Primùm itàq; in medio dolore, poſtquam ſuam captiuitatem deplorauit Eccleſia, conuertit ſe ad Deum, precatúrq; vicinis ſuis Edumæis exitium. Conuertit ſe deinde ad Babylonios, & aduerſus eos iudicium certò futurum denuntiat. Diſcimus Eccleſiæ huius exemplo, ex quo affectu debeant proficiſci imprecationes quæcunq; & denuntiationes in hoſtes Dei: Nempe ex triſtitià & dolore cordis, non ex leui aliqua animi cõmotione. Cùm enim ex dolore & mœſtitia proficiſcuntur, tum quidem graues ſunt, & ſuo tempore certum iudicium acceſſunt: ſecus leues ſunt & Deum prouocant ad iram magis aduerſus nosipſos quã aduerſus inimicos noſtros. Nota, quòd ad Edumæos attinet, Non legimus eos vnà cum Babyloniis euertiſſe ciuitatem Dei: tantum acclamabant Babyloniis, interea dum ipſi deſtruerent Hieroſolyma, *Nudate, Nudate*, inquiebant, ô *Babylonij*: ideoque eodem cum Babyloniis iudicio implicati ſunt. Qui aſſentiũtur impiis, & perſequutoribus Eccleſiæ, vel verbo, vel animo, illi quoque in numero perſequutorum cenſentur, & cum ijs pariter iudicabuntur. Quòd ad Babylonios attinet, Non modò

Altera pars Pſalmi, imprecationem & propheticam denuntiationem continens.

Hoſtes Eccleſiæ varias quidẽ facies, ſed idem cor habent.

Fauet Deus ijs qui in persecutores Ecclesiæ opus Domini peragunt.

denuntiatur aduersus eos iudicium, sed & pronuntiatur, atque promittitur instrumentis futuri illius iudicij Dario Medo, & Cyro beatitas: vt sciamus benedictos esse qui agunt opus Domini diligenter, vt è contra maledictos esse qui agunt opus Domini negligenter. Beatitas pronuntiatur futura etiam iis, qui tamen in illo opere nō tam Deum ante oculos habituri essent quàm dilatationem Imperij sui. Quantò magis igitur beati futuri sunt, qui dum opus Domini faciunt diligenter, propter Dominum ipsum id faciunt, vt ei sit omnis gloria operis sui, in solidum, & in sempiternum. Amen.

FINIS.

